Араб. 93
R-24.
Rasmusen
1821.
КВ 781

ФАБРИКА
Конторскихъ книгъ
Е-И. ПИЧУГИНОЙ.

КЬ 781

✓

K 8 B/41

КЗ 3/41 Арабск. 23 Ra 24.

ADDITAMENTA

AD

HISTORIAM ARABUM

ANTE ISLAMISMUM

EXCERPTA

EX IBN NABATAH, NUVEIRIO ATQVE IBN KOTEIBAH.

ARABICE EDIDIT ET LATINE VERTIT

D. JANUS LASSEN RASMUSSEN

PROFESSOR LINGVARUM ORIENTALIUM IN UNIVERSITATE HAUNIENSI, &c.

HAUNIÆ.

APUD *FR. BRUMMER*, TYPIS *SCHULTZIANIS*.

1821.

K13
x781
08 04
10
086
6277
21-V-28

INDEX.

A.

اعلاق الظهر, 63.
Aâscha, poeta, 42, 64.
Abdallah, filius Gadâani, 73.
Abd Amru, f. Baschri, 47.
Abdelmothalleb, avus Muhammedis, 44.
Abu Bara, v. Amer, f. Maleci.
Abubecr, chalifa, 5, 6.
Abu Rohm, Anzita, 75.
Abu Sofian, f. Harbi, 41.
Achschab, mons, 68.
Adi, f. Nadsri, 3.
Adl, Aschirita, 75.
Advena Baragemitarum, 46, 51.
Ahnaf, f. Keisi, 15, 33, 45.
Ahvads, f. Gaferi, 29.
عقد الرتم, 66.
Ali, chalifa, 19.
Amer, f. Maleci, collusor cuspidum hastarum, 27, 41.
Amer, f. Oheimeri, 52.
Amer, f. Thofeili, 28, 29, 40, 41, 42, 43.
Amru, f. Ahtami, 18, 33.
Amru, f. Adii, 3.
Amru ben Hend, 46, 47, 48, 50, 51, 52.
Amru, f. Kabidsæ, 61.
Amru, f. Maadicarbi, 53.
Amru, f. Omiah, 28.
Amru, f. Tsalabæ, f. Amrui, 51.
Amrulkeis poeta, 11, 14.
Arbed, f. Keisi, 43.
Arcus Hagebi, 72.
Arkub, Amalekita, 74.
Aroma Munschimæ, 38, 46, 74.
Atab, mater Hatemi Thaitæ, 20.
Aus, f. Haretsah, 38, 39.
Aus, f. Hogri, 27, 68.
Alazlam, الازلام, 61.

B.

Badzam, præfectus terræ Jemenensi, 2.
Albahirah, البحيرة, 60.
بكاء المقتول, 63.
Bakel, Ejadita, 45, 72, 74.
Bakkah, locus, 2.
Barakesch, canis, vel femina, 57.
Baschr, f. Abi Hazemi, 65.
Basus, femina, 9.
Benu Karrads, s. Dsafitæ, 75.
Beradh, f. Keisi, 8.
Bergan ellads, 73.
Bir elmaunah, aqva, 28.

C.

Caab, f. Zoheiri, 24.
كعب الارنب, 65.
كيّ السليم عن الجرب, 64.
Calcatus mulieris, qvæ unum foetum enixa non amplius concipit, 65.
Cessatio torporis, 65.
Chaled, f. Dsakabi, 54.

Chaled, f. Dsafvani, 16.
Chaled, f. Senani, 69, 70.
Chaled, f. Validi, 5, 42, 56.
Chalf, f. Chalfæ, 73.
Chali, f. Vahabi, 35.
Chalif, f. Okbah, Mokaêsita, 74.
Charafah, Odzrita, 73.
Charegah, f. Senani, 38, 39.
خضاب النحر, 64.
خروج الهامة, 63.
Chazim alnaîm, f. Amrui, 72.
Chozeimah, f. Fahdi, 75.
Coleib, f. Rabiâe, 9, 10, 11, 14, 75.
Complosio manuum, 64.
Conjugium odii, 62.
Cucurbitarius Sabathi, 73.

D.

Daghghab, v. Maria, filia Rabiâe.
Dahes eqvus, 37.
Dahes et Ghabra, bellum, 29, 36.
Deploratio occisi, 63.
ضرب الثور, 64.
Dsâdsâah, f. Nagijæ, 66.
Dsahib, f. Obadi, 61.
Dsarad, vir, 27.
Dsemdsamah, gladius celeber, 56.
ذبح الظبي, 63.
ذبح العتاير, 63.
ذهاب الخدر, 65.
Dzanajeb, locus, 10, 11, 13.
Dzulfekar, gladius Muhammedis, 56.
Dzulnun, gladius celeber, 56.

E.

Egressus bubonis, 63.
Ejaditæ, gens, 3.
Elkamah, f. Alatsah, 29, 40, 41, 42.
Emissio decem sonorum, 66.
Eqvus almaku, المعقوج, 66.
Erutio unius oculi cameli, 63.

F.

Fadhlah, frater Gassasi, 10.
Fardah, aqva Garamitarum, 23.
Farezdek, poeta, 49, 66, 67.
Fathimah, filia Abdalmaleci, chalifæ, 52.
Fathimah, filia Jadzcori, 75.
Fissio pallii et ricæ, 66.

G.

Gabalah, locus, 30.
Garir, f. Abdelmesihi, v. Motalammes.
Gassas, f. Morræ, 9, 10, 11.
Gauf, tractus, 75.
جزّ النواصي, 64.
Algela, الجلا, 66.
Godzeimah Alabrasch, 2.

H.

حبس البلايا, 63.
Habnakah, v. Jezid, f. Tservani, 45.
Hageb, f. Zoraræ, 72, 76.
Half elfodhul, حلف الفضول, 73.
Alham, الحام, 60.
Haml, f. Bedri, 30, 31, 32, 36.
Hamra, filia Dhomræ, 52.
Hanifitarum idolum, 76.
Harets [Hogr], Akel elmorrar, 35, 36, 37.
Harets, f. Aufi, 38, 39, 40.
Harets, f. Dsalemi, 14.
Harets, f. Obadi, 12, 57.
Harets, f. Oteibæ, 2.
Harm, f. Kothbæ, 40, 41, 42.
Harm, f. Senani, 19, 38.
Harrah, locus, 69, 76.
Hassan, f. Tsabeti, 72.
Hatem, Thaita, 19, 51.
حيض السمرة, 65.
Hemam, f. Morræ, 11, 12.
Hemar, Aadita, 75.
Hend, filia Chassi, 48, 49.

Hend, filia Dsalemi, 35, 36, 52, 72.
Hescham, chalifa, 16.
Higris, f. Coleibi, 10.
Hodzeifah, f. Bedri, 30, 31, 36, 37.
Honein, v. ocreæ Honeini.
Hotthejah, poeta, 24, 32, 42, 64.
Humatio filiarum vivarum, 66.

I.

Jadzcor, Anzita, 75.
Jasar, servus, 45, 46.
Ibn Rumi, 68.
Ibrahim, f. Haramæ, 69.
Jezid, f. Tservani, 45.
Immissio hirudinum in tergum cameli, 63.
Impingens et impactus, 65.
Inustio integri a scabie, 64.

K.

Kalmus, vir, 48, 49.
Alkaridsan, القارظان, v. Jadzcor, et Abu Rohm.
Keis, f. Adsemi, 16, 67.
Keis, f. Vagaræ, 50.
Keis, f. Zoheiri, 29, 36, 37, 38.
Kodsai, f. Calabi, 67, 73.
Kodseir, f. Sâidi, 4, 5.

L.

Lebid, poeta, 27, 29, 42.
Ligatio albelaja, 63.

M.

Mactatio alâtair, 63
Mactatio dorcadis, 63.
Almaiser, الميسر, 61.
Malec, f. Hodzeifah, 37.
Malec, f. Mesmâi, 45.
Malec, f. Mondzari, regis Hiræ, 51, 74.
Malec, f. Nuveiræ, 5.
Malec, f. Zoheiri, 38.
Maria, filia Dsalemi, 52, 72.
Maria, filia Rabiâe, 76.
Maschrefitici gladii, 7.
Michdam, gladius celeber, 56.
Almodarab, المضارة, 61.
Moaidensis, v. Schokkah, f. Dhemræ.
Moaviah, chalifa, 17.
Moaviah, f. Gauñi, 8.
Modseb, f. Zobeiri, 18.
Mogaschi, f. Masudi, 55.
Mohalhel, f. Rabiâe, 11, 49, 50.
Morrah, f. Dzohli, 10, 11, 12.
Motalammes, poeta, 46, 47, 48.
Motammem, f. Nuveiræ, 4, 5, 6, 7.
Mothajjebitarum tribus, 73.
Munschim, v. aroma Munschimæ.

N.

Nâamah, eqva Haretsi, f. Obadi, 57.
Nabegah, 62, 64, 65, 69, 72.
Nabegah, Dsobijanensis, 19, 20.
Nagiah, f. Okali, 2.
Narratio Charafæ, 73.
Nathaf, f. Gobeiri, 2.
Navar, uxor Hatemi Thaitæ, 19.
نوء السماك, 66.
نكاح المقت, 62.
Nodatio genistæ, 66.
Noman III, rex Hiræ, 8, 30, 67, 73.

O.

Obcæcatio cameli, 63.
Obeid, f. Abradsi, 19.
Ocads, forum, 8.
Ocreæ Honeini, 44.
Omar, chalifa, 6, 7, 15, 16, 17, 33, 42, 53, 54.
Omar, f. Dsacheri, v. advena Baragemitarum.
Omm Charegah, filia Farradi, 73.
Omijah, f. ben Abidsalt, 68.
Oneizah, locus, 13.
Orvah, f. Otbæ, 7.
Orvah, f. Schabbæ, 70.
Orvah, f. Vardæ, 66.
Othared, f. Hagebi, 72.
Ovarah, locus, 8, 69.

P.

Poenitentia Casâitæ, 74.
Projectio dentis in solem, 64.
Projectio stercoris camelini, 62.
Promissiones Arkubi, 74.

R.

Rabî, f. Zejadi, 36, 38, 64.
Rakkasch, soror Godzeimæ, 3.
رمي البعرة, 62.
رمي السن في الشمس, 64.
Rasub, gladius celeber, 56.
Rejah, f. Aschali, 30.
Religiones Arabum ante Islamismum, 76.
Resectio antiarum, 64.
Rumilah, f. Schâari, 50.

S.

Sahban ben Vail, 74.
Sadus, f. Senani, 35, 36.
Essajibah, السايبة, 60.
Salâ et Oschar, arbores, 67, 68.
Salam, arbor, 75.
Salim, poeta, 75.
Salulitica gens, 43.
Samuel, f. Aadijæ, 14.
شق الرداء والبرقع, 66.
Schas, f. Zoheiri, 30.
Schauth, locus, 22.
Schokkah, f. Dhomæ, 44, 45.
Semurah, arbor, 65.
Senan, f. Samii, 33.
Serhan, f. Kânebi, 58.
Simac, sidus, 66.
Soleic, f. Salacab, 25.
Suspensio mundi muliebris in homine a scorpione puncto, 65, 69.

T.

التصفيق, 64.
التعمية والتغمية, 63.
تعليق الحلي على السليم, 65.
Talus leporis, 65.
Tamim, qvid sit, 62.
التعشير, 66.
Tharafah, f. Abdi, poeta, 46, 47, 64.
الطارف والمطروف, 65.
Thofeil alaâras, 74.
Tinctus juguli, 64.
Tsalabah, f. Amrui, 51.
Tulipæ Nomani, 73.

V.

واد البنات, 66.
Vadic, Thaita, 67.
Alvadsilah, الوصيلة, 60.
Varedat, locus, 8, 12, 13.
وطء المقاليت, 65.
Verberatio tauri, 64.

Z.

Zabba, regina Alhodhri, 4, 5.
Zebrecan, f. Bedri, 33.
Zejad, f. Habulæ, 35, 36.
Zeid, f. Cotsvæ, 65.
Zeid, f. Mohalheli, 22.
Zobeir, f. Avami, 17.
Zobeir, f. Abdelmotballebi, 73.
Zobra, femina, 16, 17.
Zorarah, f. Adasi, 50, 51, 76.

EXCERPTA
EX IBN NABATÆ COMMENTARIO
IN IBN ZEIDUNI EPISTOLAM.

Nathaf imminuit opibus residuis, qvas recondidisti.[1]

Nathaf vir Arabs erat, dives factus, de qvo fertur proverbium. Discordant de eo sententiæ: eorum nempe, qvi, qvomodo res ejus revera se habeant, minus cognoscunt, alii dicunt, eum in utre aqvam super dorso portare solitum, et inde qvod stillavit, appellatum Nathaf; dein vero, qvum thesaurum aliqvem forte invenisset, rerum abundantia vitæqve commoditate usum esse; alii vero per vocem Nathaf intelligunt virum criminis suspectum, ac si pauper multas opes invenerit, qvas occultare studet, verum criminis suspectus, mox convincitur. Recte autem ait Boladeri in historia sua, Nathafum, filium Gobeiri, filii Handsalæ, Jarbuitam, in deserto cum Tamimitis commoratum esse. Badzam,[2] a Cosrio terræ Jemenensi præfectus, ad regem Persiæ mittere solebat vestes Jemenenses, aurum, muscum et gemmas, sub præsidio Gâad-Moraritarum, usque ad terram Tamimitarum; per hanc terram deducere legationem, Haudzæ delegatum erat. Aliqvo autem anno in terra Handsalidarum hanc caravanam Jarbuitæ incurrentes spoliabant, atqve, qvi aderant Arabes ducesqve Persicos occidebant. Inter eos, qvi hoc patrabant, erant Nagiah, filius Okali, Harets, filius Oteibæ, et Nathaf, filius Gobeiri, eqvites ad Tamimitas pertinentes. Nathaf multas res prædatus est, inter qvas duæ hippoperæ, cingulis aureis, qvæ gemmis pretiosis ornatæ erant, impletæ, qvas gemmas separatim divendidit. Inde ortum proverbium. Dicitur ad pauperes e sua gente munera dispersisse, ab ortu inde solis usqve ad ejus occasum; hinc ait qvidam ejus filius:

Pater meus est Nathaf, certans cum sole; pater meus submersus in liberalitate et virtutibus excelsis.

Fato moriebatur Nathaf, postqvam ejus causâ orta erant inter Arabes Persasqve magna bella.

Godzeimah Alabrasch (maculosus) te habere compotorem optavit.

Ille est Godzeimah, filius Maleci, filius Ameri, Tanuchita, vel, ut fertur, Azdita, primus, qvi Arabes moderabatur, et Kodhaitis[3] imperabat. Sedes habebat Hiram et Anbaram. Imperium ejus ante Ardeschirum, filium Babeci, incidit. Leprosus qvidem erat, sed misso hoc nomine (ignominioso), dicebatur Alabrasch, s. maculosus, et Alvadhdhah, s. nitens, qvamvis nonnulli opinentur, eum lepræ nominis haud puduisse; ideoqve vocatum Alabrasch s. maculosum. Sunt inter Arabes, qvi de lepra gloriantur, ut in versu, metro Regez composito:

Utriusqve manus liberalitate abundat leprosus colore fulvo præditus. Lepra est dona dandi scientior et gnarior.

Primus regum erat, qvi candelarum ope nocturna itinera ingrediebatur: rex solertis consilii. Appellabatur compotor duarum stellarum, Farkedan dictarum; qvum nempe poculum vini biberet, iis duo pocula infundebat, neqve ei alii erant compotores. Cujus rei causa, ut opinantur, in eo

---

1) Vide Ibn Zeiduni risalet seu epistolium arabice et latine ed. Reiske, Lipsiæ, 1755.
2) Idem est, qvem Hamza Badzan vocat, vide hist. pr. regn. Ar. ante Islamismum, p. 64.
3) Azditis, non Kodhaitis, imperabat, vide hist. præc. regn. Ar. p. 3.

erat: qvod, ipse sacerdotio fungens, sibi colenda sumsisset duo idola, Dhariban dicta, a qvibus sanitatem et victoriam in hostes petebat.

Ejaditarum aliqvot, relicta Hegiazo, per regionem Basram et Cufam interjacentem, diffusi, confiniis Hiræ prævalebant, et in Ain Obagh[4]) numero crescebant. Godzeimah eos aggrediendi causa egressus, in tractu eorum castra metabatur. Aliqvot autem viri ab Ejaditis ad duo idola Godzeimæ rapienda emissi, inebriatis vino custodibus eorum, idola furati, cum iis ad Ejaditas mane veniebant. Ejaditæ deinde ad Godzeimam mittebant, qvi diceret: idola tua tædio tui et desiderio nostri apud nos venerunt; si fidem des, te bello nos haud petiturum, idola tibi reddemus. Assensit Godzeimah, ea tamen conditione, ut sibi traderent Adium, filium Nadsri (elegantem pulchrumqve virum, qvi tunc temporis inter Ejaditas versabatur, et a qvo reges Nadsridæ deinceps propagabantur). Ejaditas, cum postulata fecerant, mittebat Godzeimah. Adium magno prosecutus amore, compotationibus et consessibus suis præficiebat. Godzeimæ erat soror viri expers, Rakkasch dicta, cujus amori in Adium hic respondebat. Rogante et svadente Rakkascha, Adi aliqvando a Godzeimah inebriato eam expetebat. Godzeimah sororem Adio nuptum dabat, et præsentes hujus matrimonii testes advocabantur. Altero mane Adium, vesti nuptiali indutum, (nuptias enim jam hac nocte celebraverat), ad Godzeimam ingressum hic interrogat, qvid sibi velint ea insignia. Insignia sponsi Rakkaschæ, respondet Adi. Væ tibi! inqvit, qvis tibi eam in matrimonium dedit? Adi respondet, regem sibi eam dedisse. Ad hæc Godzeimah se humi prosternebat meditabundus. Adi vero aufugiebat, neqve compertum, qvid ei porro accideret. Godzeimah ad sororem suam mittebat, qvi diceret:

Indica mihi, (neqve me mentieris), num scortata fueris cum libero, an cum ignobili?

An cum servo? — nam servo digna es — an cum adhuc seqviore? tali enim digna es.[5])

Ipse me nuptum dedisti viro peregrino, neqve me ea de re consuluisti, respondebat Rakkasch. Godzeimah deinceps ab ea se continebat, atqve, se præter duas stellas Farkadan dictas nullum compotorem habere velle, jurabat. Rakkasch vero gravida puerum pariebat, cui nomen Amru imponebat. Hunc, cum adolesceret, pulchris indutum vestibus et aromatibus conspersum, ad avunculum ejus mater introducebat. Vix conspectum eum amabat Godzeimah, liberisqve suis sodalem reddebat. Anno aliqvo annonâ abundante Godzeimah cum suis ruratum egressus, in prato amoeno et florido consistebat. Liberi ejus una cum Amruo egrediebantur tubera lecturi. Ceteri, qvum bonum tuber deprehenderent, id comedebant; Amru vero sua colligebat. Deinde qvum domum se receperant, Amru canebat:

Hoc est, qvod decerpsi, et eximium ejus est in eo; Cœterorum vero carpentium manus ad os ipsorum ibat.

Godzeimah, hoc effato lætus, Amruum complectebatur, et torqve ornabat; Arabum primus Amru torqve erat indutus. Postea Genii cum eo avolabant; et Godzeimah, qvamvis aliqvamdiu eum ubiqve qværeret, tamen haud indagabat. Tandem aliqvando ad Godzeimam, munera splendida ei oblaturi, tendebant duo Kodhaitæ e Syria: Malec et Okail, filii Farechi. Ad hos in itinere alicubi comedentes accedebat juvenis nudus, cujus capillus more Nabathæorum glutine illitus erat. Interrogabant eum, qvis esset. Id edocti surgebant, et postqvam ipsi caput laverant, eumqve

4) De Ain Obagh vide hist. pr. regn. Ar. p. 124.

5) Hi versus leguntur in A. Schultensii monum. vet. Arabiæ etc. pag. 34, et in Pocockii Spec. hist. Ar. ed. White, pag. 431 et 507.

concinnaverant, atqve vestibus induerant, ad Godzeimam secum ducebant, opinantes, se Godzeimæ nullum majoris pretii munus, qvam nepotem ejus ex sorore, offerre posse. Godzeimah, ejus reditu exhilaratus, conspecto torqve: Amru, inqvit, ultra torqvem adoluit,6) qvod abiit in proverbium. Godzeimah Maleci et Okaili arbitrio permittebat, qvid petere vellent. Compotores ejus esse rogabant, qvamdiu ille et ipsi in vivis essent. Godzeimah annuebat. Hi duo Godzeimæ erant compotores, de qvibus habetur proverbium, et qvos intelligit Motammem, filius Nuveiræ, qvum ait in epicedio fratris sui:

Fuimus, sicut duo Godzeimæ compotores, [intime conjuncti] *per longum temporis spatium, ita ut diceretur: ii duo neqvaqvam divellentur.*

(Alii tamen volunt, poetam duas stellas Farkedan per duos hos compotores intellexisse). Narratur, Godzeimam iterum inebriatum, eos occidisse; sed mox altero mane cædis poenituisse; qvapropter super eos duo monumenta, Gharijein dicta, extruebat. Dicitur tamen, ea a Mondzaro natu majore exstructa esse. Deniqve ad Zabbam, reginam Alhodhri, ditiones Romanorum et Persarum tunc temporis interjacentis, mittebat Godzeimah, qvi eam expeteret. Zabba, necem patris sui, [qvem Godzeimah occiderat], ulciscendi cupida, annuebat, eumqve ad se invitabat. Consulebat Godzeimah aulicos suos de itinere ingrediendo. Svadebant omnes; solus Kodseir, filius Sâidi, vir prudens, dissvadebat, dicens, oportere foeminas ad maritos deduci. Nihilominus, spreto sano consilio Kodseiri, iter Godzeimah ingrediebatur. Qvum ad locum, Bakkah dictum, venerat, rursus suos consulebat, qvi, qvomodo in ea re eum sentire scirent, svadebant. Revertere, inqvit Kodseir, dum sangvis tuus in facie tua est. Godzeimah autem, iterum spreto consilio, pergebat, donec eqvitum cohortes, sibi obviam procedentes, videret. Rursus consulebat Kodzeirum; hic vero respondebat: *consilium reliqvisti in Bakkah;* id qvod abiit in proverbium. Kodzeir eqvum aliqvem Godzeimæ Alâdsa dictum adscendens, evadebat. Godzeimah autem prehensus ducebatur coram Zabba, qvæ ejus رواهش i. e. venas manus scindi, sangvinemqve usqve ad mortem effluere jubebat. Mors ejus celebrata admodum est. Sexaginta annos regnabat. E carminibus ejus est hoc:

Vesperi fuit Godzeimæ aqvatio in Tehrin. Accumulabat id, qvod collegerant ante ipsum Aaditæ.

Bonum fieri, efficientem qvod attinet, non semper perit incrementum ejus, et viri probi augentur.

Belkis te Zabbæ invidit æmula.

Belkis filia erat Haretsi, filii Sabæ &c. Zabba, vel, ut vero nomine vocabatur, Farighah filia erat Melihi, filii Beræ. Pater Zabbæ imperabat Alhodhr, et ille est, de qvo meminit Adi, filius Zeidi in isto:

Et frater Alhodhri tunc exstruxit id, et tunc Tigris et Chabur ad eum colligebantur.

Hunc occiderat Godzeimah alabrasch, et in Syriam abegerat filiam ejus Zabbam, qvæ ad territorium Romanum confugiebat. Zabba arabice pulchre loqvebatur. Magni erat consilii, et, ut Ibn Alcalbi ait, sui ævi mulierum pulcherrima. Vero nomine appellabatur Farighah, sed qvia ei erat capillus, qvem, si incederet, retro abigebat, et qvo passo operiebatur, inde nomen trahebat

6) Idem est, qvod Danice dicimus: at voxe fra noget.

Zabbæ i. e. capillatæ. Destinata efficiebat: contractis nempe militibus, et erogatis opibus, regnum patris, pulso Godzeimah, recuperabat. Ad Euphratem duas condebat urbes, sibi oppositas, qvas cryptis conjungebat, et ita se muniebat. Virgo erat, et a viris se abstinebat. Postqvam aliqvamdiu pacem cum Godzeimah habuerat, eum, se nuptiis ambientem, ad se invitabat et jugulabat, uti supra commemoratum est in articulo ejus. Ipsa autem a Kodseiro occidebatur: Hic nempe, quum in terram suam, relicto Godzeimah, redierat, necem Zabbæ molitus, amputato naso, et flagellato corpore, ad eam proficiscebatur, dictitans, se ab Amruo, filio sororis Godzeimæ, tam crudeliter tractatum esse, ideoque ad eam confugisse, cujus patrocinium nunc implorabat. Kodseir deinde mercibus mutandis, qvibus Zabba opes lucrabatur, ei blandiebatur, donec ei confideret, atqve arcana cryptasqve arcis suæ ei monstraret. Tunc vero Kodseir in saccos magnos aliqvot Amrui viros armatos inserebat, eosqve camelis impositos, tanqvam esset caterva mercatoria, in urbem Zabbæ inducebat, atqve, evacuatis saccis, cinctaqve arce, eam ante trucidabat, qvam cryptam suam contingeret. Hæc celebrata admodum res accidit post missionem Messiæ, cui pax!

Qvod Malec, filius Nuveiræ, fuerit tibi Radafus aut vicarius.

Intelligitur Malec, filius Nuveiræ, filii Schedadi, Tamimita e familia Jarbuitarum, eqves Dzulchemari, qvo nomine vocabatur eqvus ejus. Cognominabatur Algaful, qvia capillatus admodum erat. Erat inter eqvites heroesqve Arabum, unus ex iis, qvi ante Islamismum Radafatum gerebant, qvod munus tempore Mondzari Jarbuitis proprium erat. Intelligitur per Radafum is, qvi, si sedeat rex, ejus dextræ assidet, post eum bibit, atqve, quum rex expeditionem faciat, in ejus loco sedeat. Radafo qvoqve est suum tributum, qvod una cum regis tributo cogitur. Huc spectat versus, metro Regez compositus:

Qvis de gloria disceptabit cum Jarbuitis, nobilibus in consessu, et Radafis nobilibus.

Malec, filius Nuveiræ, Islamismi tempus asseqvebatur. Propheta eum præficiebat cogendis Jarbuitarum, suæ gentis, eleemosynis. Mortuo autem propheta, eas solvere tardabat, et a religione defecisse fertur. Abubecr Chaledum, filium Validi, mittebat ad apostatas bello petendos, eique præcipiebat, ut, quum ad gentem aliqvam mane veniret, auscultaret, an Aladzan s. precandi temporis promulgationem observarent; si eam audiret, ab iis se abstineret; sin minus, eos trucidaret. Prætervectus itaqve Chaled Albatah, locum, ubi Malec, filius Nuveiræ, ejusque socii versabantur, hosce, qvia, ut fertur, precandi temporis promulgationem non observabant, aggressus, captivum ducebat Malecum eumqve occidendum Dheraro, filio Azveri, mandabat; Dherar ei auscultabat. Sunt, qvi hujus a Chaledo patratæ cædis causam dicunt; sunt et alii, qvi Chaledum maledictis insectantur. Defensores ejus opinantur, Malecum apostatam obiisse, et, quum coram Chaledo staret, hunc alloqventem dixisse: dixit dominus tuus, et: obiit dominus tuus, sc. propheta. Nonne tuus erat dominus? o hostis Dei! respondit Chaled, eumqve occidi jussit. Defensores Chaledi argumentum qvoqve ex effato Motammemi, fratris Maleci, trahunt: Omar nempe, filius Chatthabi, quum audiret Motammemum recitare epicedium fratris sui, ei: vellem, inqvit, ut fratrem meum Zeidum simili epicedio celebrares. Per Deum! respondit Motammem, si scirem, fratrem meum abiisse, qvo frater tuus abierit, (sc. in paradisum), neqve ullo epicedio eum celebrarem, neqve eum lugerem. Ii autem, qvi Chaledo hoc facinus exprobrant, memorant, Malecum, quum Cha-

led eum a religione defecisse argueret, negasse, his verbis utentem: per Deum! persisto in Islamismo; per Deum! haud commutavi religionem meam. Id qvoqve testabantur Kotadah, et Abdallah, filius Omari; sed nihilominus Chaled eum occidi jubebat. Inter hæc adveniebat develata facie pulchra Maleci uxor, Leila, filia Senani, et in maritum se projiciebat. Cui Malec: tu, inqvit, me occidis; significabat nempe, eam Chaledo placere, eumqve necem ipsius velle, ut uxorem eam duceret. Dherar, filius Azveri, quum eum jugulaverat, caput ejus ollæ, ut sustentaculum, ita supponebat, ut facies ejus ignem spectaret. Qvod videns mulier qvædam e gente Maleci: "avertite," inqvit, "ab igne faciem Maleci; hebes enim erat acie, si vicinis mulieribus occurreret; oculis vero acutus, quum in hostem excurreret. Neqve ad satietatem comedebat nocte, qva hospitem excipiebat, neqve dormiebat nocte, qva hostem metuebat."

Omar, filius Chatthabi, quum cognoverat, qvæ patrasset Chaled, Abubecrum in eum concitabat, lapidandum eum censens, qvoniam Moslimum occiderat, atqve scortatus erat. Omaro assentiebatur Ali, filius Abu-Thalebi. Abubecr respondebat: Chaled consulto haud peccavit, sed qvia (Alcorani verba prave) interpretabatur; neqve meum est, gladium, qvem propheta evaginavit, in vaginam recondere. Omar autem non desinebat odio Chaledum ob hoc facinus proseqvi, donec, chalifa factus, eum de exercitu Islamismi dimoveret, jurans, se, qvamdiu in vivis esset, nulli negotio præfecturum.

Motammem, filius Nuveiræ, impeditus rerum penuria, qvo minus iter ad fratrem suum Malecum, commeatu affluentem, continuaret, quum frater occisus erat, eum vehementer lugebat, et elegiis celebribus deflebat. Qvo tempore fratris cædem resciverat, ad templum prophetæ Medinense veniebat, ubi precibus matutinis a tergo Abubecri perfungebatur. Qvibus absolutis, recedens suoqve arcu innitens hunc versum recitabat:

Euge! vir occise! qvum venti ex adverso spirabant pone domos, occisus es, o fili Azveri!
Tum Abubecro innuens recitabat:

Num tu eum ad te vocasti, sponsore Deo interposito, deinde eum fefellisti? si ille te vocasset, sangvine suo sponsore interposito, non fefellisset.

Per Deum! neqve eum vocavi, neqve fefelli, respondebat Abubecr. Dein Motammem, qvid restaret e carmine, recitabat, super arcum suum delapsus. Interea flere haud desinebat, donec oculus, qvem cassum habebat, (erat nempe luscus) lacrymas effunderet. Omar, filius Chatthabi, eum adiens: vellem, inqvit, ut fratrem meum Zeidum epicedio celebrares. Respondebat Motammem, qvæ supra attulimus. Nihilominus deinde Zeidum celebrabat epicedio, sed minus eleganter composito. Interrogatus de causa, cur non melius successerit, respondebat, se eo affectu erga fratrem suum, qvo non erga Zeidum, commotum esse. Interrogatus ab Omaro de luctu suo: per Deum! inqvit, ego nocte haud dormio, et qvotiescunqve rogum nocte accensum viderim, vereor, ne præ moerore exspirem; mihi enim succurrit rogus, qvem frater meus metuens, ne forte hospes prope a se pernoctaret, qvavis nocte accendi, et donec illucesceret, ardere jubebat. 7) Viator itaqve nocturnus, conspecto igne, illuc qviescendi causa se recipiebat, et frater meus, noctu vigil, eum adducebat, de ejus adventu majori completus gaudio, qvam homines, ad qvos e longinqvo itinere unus suorum revertitur. O virum generosum! clamabat Omar.

---

7) De hoc more vide S. de Sacy Gram. Arabe T. II. pag. 124.

Rogabat aliqvando Omar Motammemum, ut de fratre suo aliqvid narraret. Quum aliqvando, inqvit, apud familiam qvandam Arabum in vinculis retinebar, adveniebat frater meus; ut primum in conspectum huic familiæ veniebat, neqve ullus sedens erat, qvin surgeret, neqve ulla mulier in penetralibus tentoriorum remanebat, qvin prodiret. Vix autem camelo descenderat, anteqvam me fune vinctum ei tradebant, et ille me vinculis solvebat.[8] Hæc sane est nobilitas! exclamabat Omar. Alio qvodam die Omar Motammemo: tu sane, inqvit, mente pollens es! qvid censes de fratre tuo? Per Deum! respondebat, frater meus noctibus perfrigidis camelo tardigrado vehebatur, ad latus ducens eqvum refractarium, manu tenens hastam gravem, vestimento indutus arctiore, qvam ut constringi posset, duosque majores utres aqvarios, unum coram, alterum pone sese, gestans. Ita vagabatur, donec illucesceret; et tamen hilaris subridebat.

Inter egregia disticha, qvibus Motammem fratrem suum deflebat, est hoc:

Dixere: num flebis ad unumqvemqve tumulum, qvem videris, ob tumulum, qvi est inter Lœva et Decadec?

Iis respondi: sane moeror suscitat moerorem. Sinite me! nam hi omnes tumuli sunt Maleci.

E poesi Maleci sunt hi versus:

Certe novi procul dubio, me fortunæ casibus obnoxium esse; num vero me vides animo fractum?

Perdiderunt fortunæ casus gentem Aaditicam, deinde gentem Moharreki, eosqve reliqverunt dispersos, et qvæ collegerant.

Numeravi parentes meos ad originem terræ usqve; vocavi eos, qvamvis scirem, eos non audire.

Abiere, neqve eos asseqvor. Prohibuit eos invasio repentina noctium, et via omnibus patens.

Item hi:

Mihi dixerunt: te captivum da! tunc tutus eris! Respondi: si captivum me darem, utiqve perfidus essem,

Qvia reliqvi gladium Maschrefiticum[9], concubitorem meum, et hastam, in qva fata insidiantur.

Si me post hæc occidatis, ego qvidem moriar juxta decretum divinum, sed remanent odia.

Orvah, filius Gâferi, ad te profectus est.

Ille fuit Orvah,[10] filius Otbæ, filii Gâferi, Amer-Dsâdsâita.[11] Qvia gentiles ejus ad Gâfe-

---

8) Vide hist. præc. regn. Ar. ante Islamismum, pag. 123.

9) ɔ: cusum in Mascharif Esscham, pagis in terra Arabum prope Rif, unde proveniebant gladii Maschrefitici. "ومشارف الشام قريً من ارض العرب تدنو من الريف منها السيوف المشرفيّة بفتح الراء" Kamus, ed. Calcut. Tom. II, pag. ١١٨٣.

10) De eo vide hist. pr. regn. ante Islam. p. 69, 70, 72, 75 seq.

11) Vide Tab. VII in Eichhornii mon. ant. hist. Ar. p. 108.

rum stemma suum referebant, ita ut Gâferidas se vocarent, ideo Ibn Zeidun Orvam filium Gaferi, neqve filium Otbæ appellat. Vulgo vocabatur Orvah-errahhal, qvia ad reges provinciarum proficiscebatur. Intellectu ingeniiqve subtilitate et alacritate valebat. Unus erat e Radafis regum. Multi et copiosi sunt Arabes in eo laudando. Ita asserunt, eum aliqvando profectum ad Moaviam, filium Gauni, Cenditam, qvi una cum Handsalidis expeditionem susceperat contra gentem qvandam Ameriticam, sociumqve expeditionis Orvam sibi jungebat; quum vero Orvah in Varedat[12]) erat, Moaviæ dixit: pro jure nostri consortii, meæqve ad te profectionis mihi concede, ut ex hocce loco gentem meam de imminenti periculo moneam. Qvam petitionem Moaviah, qvia inter Orvam ejusqve gentiles unius noctis iter erat, miratus, ei facile concedebat. Orvah ter clamabat: o tempus matutinum! Qvod quum audirent aliqvot ex ea tribu, ad hostem excipiendum se parabant.

Orvæ cædes causa erat belli scelestorum: Noman nempe qvotannis ad forum Ocads mittere solebat catervam mercatoriam sub præsidio nobilis Arabis, qvi eam a tribubus Arabum posset protegere, atqve curare, ut merces allatæ in nundinis Ocadsensibus venderentur, earumqve pretio coria ex urbe Thaif, aliæqve res, qvibus rex opus habebat, emerentur. Nundinabantur enim in Ocads per totum mensem Dzulkâdah, donec immineret tempus sacræ peregrinationis; tunc Meccam adibant. Qvatuor erant menses sacri, qvibus vetitum erat bellare, nempe: Dzulkâdah, Dzulheggah, Muharrem et Regeb. Mense Dzulkâdah Arabes, mutuarum aggressionum securi, ad sacram peregrinationem se parabant. Rebus ita comparatis, Noman, caravanam missurus, rogabat, qvis eam protegere vellet[13]). Dicebat Beradh, filius Keisi, se a Cananitis eam custoditurum. Noman vero respondebat, se tutorem ab incolis Negdi et Tehamæ velle. Tum Orvaherrahhal, tunc temporis vir Havazeniticus: num iste canis, inqvit, eam custodiet? ego tibi eam custodiam a gente Scihi (absinthii) et Keidsumi, (abrotoni), a Negditis et Tehamitis. Cui Beradh: o Orvah! inqvit, num a Cananitis eam custodies? Ab omnibus hominibus, respondebat. Noman itaqve caravanam custodiendam Orvæ tradebat. Hunc iter ingressum, seqvebatur Beradh, homo intrepidus vaferqve. Orvah autem ab eo nil mali timebat, qvia modo bidui itinere aberat a gentilibus suis Ghathfanidis. Castris itaqve ad aqvam Ovarah dictam metatis, mero suæqve puellæ modulatione sopitus Orvah obdormiebat. Superveniens autem Beradh, eum somno suscitatum, qvamvis veniam hallucinationis rogantem et obsecrantem, jugulabat, hunc versum, metro Regez compositum, dum exibat, recitans:

Certe fuit facinus a me error. Annon autem erga alium præter me offensam patrasses!

Deinde Beradh aufugiebat. Arabes proverbium cudebant: audacior Beradho. Hæc cædes magnis bellis occasionem præbebat.

E carminibus Orvæ sunt hæc:

De me admirabitur mater Hassani, si viderit, diem noctemqve celeriter me attrivisse.

Certe fratres mei eo perducti sunt, ut induti videantur vestibus deserti, herbâqve albicante Tsagham a ventis agitata.

Nonnulli autem relatores Orvah-erragalo (cum Gim), Asditæ, hos versus attribuunt.

---

12) De Varedat vide hist. pr. regn. Arab. etc. p. 113.
13) Vide l. l. p. 76.

Coleib, filius Rabiâe, tuâ potentiâ pascua custodivit, et Gassas tua injuriarum impatientia eum occidit.

Ille erat Coleib, filius Rabiæ, filii Senani, Vailita, de qvo dicitur proverbium: *potentior inaccesso Coleibi territorio.* Erat Reis s. princeps utriusqve tribus Becri et Taghlabi, geminorum Vaili filiorum. Omnes Maaditas ducebat die s. proelio Hezar,[14] turbasqve Romanorum[15] fugabat; qvapropter Maaditæ ad eum convenientes, regno coronaqve eum, cui obedirent, donabant. Postqvam per aliqvod tempus regnaverat, invadebat ejus animum fastus vehemens et insolentia erga suam gentem, qvia inter eos pollens potensqve erat, dum obseqvio, qvod ei præstabant Maaditæ, confidebat; qvæ ejus tyrannis et superbia eo usqve procedebat, ut stagna, confluente pluviâ orta, adiri vetaret, obseptum territorium suum depasci nollet,[16] hanc vel illam feram, qvam in tutelam recepisse diceret, turbari et agitari vetaret, neqve permitteret, aliorum camelos una cum suis ad aqvandum duci, neqve ignem apud et præter suum accendi, neqve ullum in suo consessu, ita sedere, ut lumbos tibiasqve contractas simul contineret, neqve, veniâ non impetrata, loqvi. Hac de re ait post cædem Coleibi frater hujus:

Audivi, ignem, te sublato, accendi, et consessus, te, o Coleib! sublato, maledicta et opprobria jactare,

Eosqve de rebus qvibuscunqve gravissimis loqvi, qvi, si adesses, nil loqverentur.

Dicitur, Coleibum, qvum pascuum transiret, solitum esse in eo projicere catulum, cujus latratu significaretur, hoc pabulum depasci aliis vetitum esse. Hinc Vail dicitur Coleib (diminut. *του* Calb), et Vailo, proprio regis nomini, addebant nomen catuli s. canis; hoc nomen deinde ita prævalebat, ut verum ejus nomen putaretur.

Transibat aliqvando aviculam, passeri similem, Hommar dictam, vel, ut alii volunt, alaudam, ovis incubantem, qvæ, eo conspecto, trissabat, alasqve strepens motabat. Cui Coleib: Noli timere (verb. tutum cor tuum redde)! inqvit, sub mea tutela es. Deinde canebat:

Heus tibi alauda! in mansione aqva pabuloqve abundante versaris: patet tibi aer: exclude ova et pipila!

Rostro pete, qvicqvid velis! neqve enim ullus audet possessor cameli hoc pascuum intrare.

Qvod ad Gassasum attinet, ille erat filius Morræ, filii Dzohli; soror ejus Coleibo nupserat. Goschamidæ, unde ortus Coleib, et Scheibanitæ, a qvibus originem ducebat Gassas, in eadem mansione habitabant. Gassaso autem erat matertera de gente Sâaditarum oriunda, nomine Basus, qvæ in clientelam Morritarum recepta, apud suum ex sorore nepotem Gassasum hospitabatur una cum filio suo. Basus filiusqve camelam habebant lacte affluentem e gregibus Saaditarum, ejusqve pullum ablactatum. Hæc camela die qvodam aufugiens camelis Coleibi se immiscebat. Qvam qvum videret Coleib in suis pascuis pascentem, et, ut peregrinam, agnosceret, sagittâ uber ejus feriebat. Camela mox terga dans ad atrium dominæ suæ recurrebat, ubi sangvinem et lac ex

---

14) MS. Reisk. legit: خزاز. MS. Un. حزاز. Cfr. hist. pr. regn. Arab. ante Islamismum, pag. 110.

15) Haud dubie vero legendum: Jemenensium. Nuveirius enim dicit: "ففضّ جموع اليمن وهزمهم" Cfr. Pocockii spec. hist. Ar. ed. White, pag. 450 et 527.

16) Vide de hoc more Ann. Mosl. T. I, hist. ann. pag. 58.

ubere radiatim effundens, procumbebat. Qvam qvum Basus videret, vociferans manuqve capiti imposita, prodibat, et, heu humilitas![17] clamabat. Gassas vero hæc audiens eam silere jubebat, hisqve verbis consolabatur: "per Deum! cras jugulabitur camelus (Coleibum intellexit), cujus vulneratio majoris erit momenti, qvam tui cameli." Deinde in vetito Coleibi territorio pabulati, ad fluvium, Schabib dictum, abibant, sed a Coleibo, dicente: "ne guttam ex eo degustetis," inde abacti pergebant ad alium fluvium, Ahads nominatum, unde, rursus a Coleibo depulsi, ad Dzanajeb pergebant, ubi castra metabantur. Gassas vero Coleibum, seorsum ad stagnum Dzanajeb stantem, nactus exprobrabat, eum ab aqvis suam gentem depulsisse, ita ut parum abesset, qvin siti periisset. Negabat Coleib, se aqvâ eos prohibuisse, vel arcere velle. Hoc tuum facinus, respondebat Gassas, simile est cædi, qvam in camelam materteræ meæ patrasti. Certe eam monui, respondebat Coleib, ut, si hanc camelam extra gregem camelorum Morræ [patris Gassasi] reperirem, hujus camelæ cædem licitam censerem. Hæc audiens Gassas, eqvo ad Coleibum circumacto, eum hasta confossum prosternebat. Coleib, mortem imminentem sentiens: "o Gassas!", inqvit, "potum aqvæ mihi propina!" "Procul sit! transgressus es amnes Ahads et Schabib," respondebat Gassas. Mox incurrens Mozdalef[18] eum conficiebat. Patrata cæde Coleibi, Gassas ad gentem suam, frenis eqvi sui laxatis, tendebat. Soror ejus, advenientem eum videns, patri suo: Sane aliqvid, inqvit, accidit Gassaso, nudus enim est ejus cubitus (v. genu) (ad verba: venit extrinsecus cubitus ejus). Per Deum! respondebat pater, haud exserti sunt cubiti ejus, nisi ob rem magnam, erat scilicet in altero ejus cubito albedo aliqva leprosa, qvam alias spectandam non præbebat. Qvum advenerat, interrogabat pater; qvid est a tergo tuo?[19] mi fili! A tergo meo ictum ici, qvo senes Vaili per aliqvod tempus occupabuntur, respondebat Gassas. Jugulastine, inqvit, Coleibum? Affirmante Gassaso, rursus pater: vellem, te tuosqve fratres ante hoc facinus mortuos fuisse; fieri enim neqvit, qvin Vailidæ nefastum me habeant. Gassas autem, ad fratrem suum Fadhlah respiciens, canebat:

Utiqve ego tibi concivi bellum, in qvo senes vel ipsam aqvam limpidam et puram bibentes, præfocabuntur,

Viros amans, a qvo, si qvis sanæ mentis se contineat, amore fertur erga alium male sanum.

Respondebat Fadhlah, cædem commissam bonam censens et approbans:

Si mihi bellum conciveris, non concivisti viro imbecillo tritisqve et marcidis armis prædito.

Deinde Gassas in fugam se dabat, et oriebatur bellum inter duas familias (Taghlabitas et Scheibano-Becritas), nomine Basus celebratum, qvod propemodum per qvadraginta annos dicitur durasse. De cæde Gassasi dissentiunt. Sunt, qvi dicunt, eum, qvum ad Syriam aufugeret, in itinere ab Abu Nuveirah, aliqvo tempore post cædem Coleibi, occisum esse. Alii vero dicunt, Higrisum, filium Coleibi, apud matrem suam et avunculos post turbas ortas commorantem, qvum ætatis maturitatem assecutus, Gassasum, suum avunculum, percussorem esse patris sui Coleibi,

---

17) Humilem et abjectam nostram conditionem tali violentiæ obnoxiam deploro, vide S. de Sacy Gram. Ar. P. I, p. 405.
18) Haud dubie idem, qvem Nuveirius Amru, filium Haretsi, vocat.
19) Vide Abulfarag. p. 185 ult. Arab. et p. 117 latin. ult.

cognovisset, conscenso eqvo, sumtâqve hastâ, adiisse ad conciliabulum gentis suæ, ubi avunculus ejus Gassas una cum hominum turbâ erat; qvo qvum venerat: per hastam meam, inqvit, ejusqve geminam cuspidem! per gladium meum ejusqve geminam aciem! per eqvum meum ejusqve geminas aures! Virum haud decet, in vivis mittere percussorem patris sui. His dictis, ad Gassasum respiciens, eum confodiebat. Cæde commissa, ad patruos suos aufugiebat.

Mohalhel vindicias suas cepit tuis spiritibus.

Mohalhel, filius Rabiæ, filii Haretsi, frater erat Coleibi, de qvo supra commemoratum est. Proprium ejus nomen erat Adi; Mohalhel autem fuit cognominatus ob hoc ejus effatum:

Qvum adscendit eqvus ignobilis et clitellarius in prominentiorem montis partem, reciprocavi vocem. Vindictam sumo a rege et astuto.

Dicitur qvoqve, eum Mohalhelum ideo cognominatum esse, qvia primus halhal, i. e. concinnabat compositionem carminis: Primus enim poemata justo versuum numero constantia componebat, et Ghazelum in iis condebat, atqve eam carminum suorum partem, qvæ Nasib[20]) vocatur, canebat. Avunculus erat Amrulkeisi, filii Hogri, qvi carmina eleganter componendi facultatem ab eo hereditate qvasi accipiebat. Amabat qvoqve Mohalhel cum foeminis confabulari; unde a fratre suo Coleibo Zir ennesa s. societate foeminarum se delectans, appellabatur. Ideo, postqvam Coleibum occisum ultus erat, ait:

Si a Coleibo eruerentur sepulchra, cognosceret in Dzanajeb, qvisnam Zir sit.

Qvod vero attinet ad Mohalheli res gestas in bello, qvo de Coleibi cæde vindictam sumebat, res ita sese habet: Qvum Gassas post Coleibum occisum aufugerat, erat Hemam, filius Morræ, frater Gassasi, apud Mohalhelum, filium Rabiæ, fratrem Coleibi, et cum eo compotabat. Tum forte ancilla qvædam accedens Hemamo clam aperiebat, Coleibum a Gassaso occisum fuisse. Hemam a Mohalhelo interrogatus, qvid diceret ancilla, tacebat; qvum vero hic in memoriam ei revocaverat foedus, qvo pactus erat, ut amicum fratremqve suum Mohalhelum nil celaret: ancilla, inqvit, me docuit, tuum fratrem a meo occisum esse. Podex fratris tui angustior est, respondit, qvam ut id patrare auderet. Tacebat Hemam. Qvum deinde ad compotandum accederent, et Mohalhel qvidem, futuri securus, Hemam autem metuens et sollicitus biberet (ad verba: poculum securi, et Hemam poculum metuentis biberet), ille vino mox prosternebatur, hic occasionem capiens, se subripiebat ad gentem suam, qvæ, dirutis casis, coactisqve eqvis et pecudibus, alio jam migrabat. Hemam suæ genti se adjungens, cum ea abibat.

Mohalhel autem, qvum ab ebrietate ad se redierat, cædis Coleibi, cujus rumor propediem pervaserat, certior reddebatur. Conveniebant eum primores gentis ejus, svadentes, haud festinandum arma movere contra suos gentiles, verum potius conandum res sine turbis componere. Eo igitur consilio aliqvot eorum viri nobiles abierunt ad Morrah, filium Dzohli, cui, postqvam causæ, de qva lis erat, magnitudinem explicaverant, pacis conditiones, qvas habebat eligendas, proponebant: aut nempe, ajebant, nobis tradas Gassasum, vicissim pro socio nostro Coleibo jugulandum, ea lege, ut percussor ejus a te injuriæ non accusetur: aut nobis tradas jugulandum Hemamum: aut deniqve tui copiam nobis facias. Tacuit qvidem Morrah, sed jussus a

20) s. Taschbib; vide Gladvin dissert. on the Rhetoric, Prosody and Rhyme of the Persians, p. 5.

præsentibus Becritarum primoribus libere et confidenter loqvi, respondit: Qvod ad Gassasum attinet, hic juvenis, qvi juveniliter et temerarie egit, metu ductus, nescio, qvo, aufugit: qvantum ad fratrem ejus Hemamum, is pater est decem filiorum, fraterqve decem fratrum; qvem si vobis traderem, filii ejus palam mihi exprobrarent, me patrem ipsorum ob malevolentiam alterius trucidandum dedisse: qvantum deniqve ad me attinet, haud accelerabo mortem. Qvodsi vero eqvitatus discursationem facere voluerit, ego primus pugnam ingrediar. Nonne autem vobis placent aliæ conditiones? en ceteri hi filii mei in vestra potestate sunt! capite unum ex his, eumqve circa collum loro revinctum ad supplicium ducite! aut si malueritis, vobis dabo mille camelos. Verum legati vehementer irati, responderunt: Ad te non venimus, ut filios tuos spretos et repudiatos nobis tradas, neqve ut nos cogas ad lac camelinum pro lytro accipiendum. Qvibus dictis, domum redibant. Mohalhel bello se accingebat. Bellum cædesqve exorsa ardebat inter duas tribus usqve ad diem s. proelium Varedat, qvo Becritæ magna strage fundebantur; qvapropter se contulere ad gentilem suum Haretsum, filium Obadi, filii Maleci, qvi hactenus a bello se abstinuerat, dum dicebat: *neqve mihi in eo bello camela*, *neqve camelus est*, (qvod effatum in proverbium abiit). Harets opem suæ genti jam fere perditæ ferendam rogatus, filium suum, vel, ut alii volunt, filium sororis suæ Bagirum ad Mohalhelum misit, eumqve jussit dicere; pater Bagiri salvere te jubet, tibiqve nuntiat: nosti, me ope genti meæ ferenda ideo abstinuisse, qvia te violarunt; neqve a tuis, neqve ab eorum partibus steti; nunc mihi videris, magna edita gentilium tuorum (Becritarum) strage, Coleibum abunde ultus fuisse. His cum mandatis Bagir venit ad Mohalhelum, qvi inter gentem suam versabatur. Avunculus meus, inqvit, salvere te jubet. Qvis est avunculus tuus? o adolescens! interrogabat Mohalhel, adversus eum, hastâ arreptâ, prosiliens. Amrulkeis, filius Abani (v. Atsani), Taghlabita: noli, inqvit, præcipitanter agere, o Mohalhel! hæc familia a bello nostro prorsus abstinuit; per Deum! si eum occideris, vicissim cadet vir tam celeber, ut de avunculo ejus haud opus sit qværere. Mohalhel autem, hæc verba nil curans, incurrens, Bagirum occidebat, his verbis utens: piaculum des lori soleæ Coleibi! Si Taghlabitæ, respondit juvenis, in hoc acqvieverint, ego qvoqve acqviesco. Harets, filius Obadi, qvum cognoverat cædem filii sui: euge! inqvit, juvenis rem composuit inter Vailitas et expiavit Coleibum. Becritæ autem, qvum hæc Haretsi verba audiverant, ei aperuerunt, qvæ Mohalhel dixisset, lorum nempe soleæ Coleibi tantummodo Bagiri cæde esse expiatum. Hinc iratus Harets bellum suscepit. Arsit istud per longum temporis spatium inter duas tribus. Periit major eorum pars; inter alios Hemam, frater Gassasi. Tandem pacem conciliavit Harets, filius Aufi,[21]) Morrita, qva de re infra. Mohalhel ad avunculos suos Jeschcaritas solitarius abiit, et apud eos usqve ad fata commoratus est. Occisus esse dicitur; causamqve cædis ejus hanc esse refert Ibn Alcalbi: eum ætate provectum, et præ senio delirum duos habuisse servos ipsi famulantes, qvi ejus erant pertæsi: qvum aliqvando cum hisce servis iter ingressus erat, in deserto qvodam loco camelam, qva vehebatur, procumbere faciebant, decernentes eum occidere. Qvo consilio cognito, sellæ camelæ suæ inscripsit, vel, ut alii dicunt, servis præcepit dicere:

Qvis nuntiat utriqve familiæ[22]) (Becritis et Taghlabitis), *Mohalhelum*......

---

21) Hanc assertionem prorsus falsam esse constat. Dicere voluit: Harets (Hogr), rex Cenditarum.
22) Nuveirius pro الحيين habet: عني.

Deo caræ vos duæ estote! et Deo carus sit pater vester!......

Peracta cæde, ad gentem ejus reversi, narrabant, Mohalhelum obiisse, verbaqve sibi mandata recitabant. Aliqva ejus filiarum [23]), hæc verba secum meditata: Mohalhel, inqvit, tale carmen, sensu carens, dicere neqvit, sed id voluit:

Qvis nuntiat utriqve familiæ, Mohalhelum in deserto esse interfectum, humi prostratum?
Deo caræ vos duæ estote! et Deo carus sit pater vester! non effugient duo servi, qvin trucidentur.

Servi itaqve, scelus, postqvam verberati erant, confessi, necabantur.

Mohalheli poesis altiorem tenet gradum inter poemata veterum; hæc adferre lubet specimina:

Invitis cordibus nostris, o Becritæ! ad vos mane accedimus cum cuspidibus aciei attenuatæ,
Qvibus color jam ater est e capitibus (confossis), *qvamvis mane fuerint politæ.*
Vos flemus, qvum vos meminerimus, et tamen vos occidimus, ac si vos non curaremus.

Hi versus erant radix, qva nitebantur poetæ in hoc sensu [typus, ad qvem se accommodabant seqventes poetæ, idem argumentum tractantes].

Ejusdem argumenti sunt seqventes versus:

O nox nostra in Dzi Gesm! illucesce! qvum tu finita sis, non [amplius] *injusta eris.*
Utiqve nox mihi longa [ɔ: tristis] *fuit in Dzanajeb* [24]); *etiam fleo noctem brevem.*
Qvum candor auroræ me ab ea eripuerit, certe a malo magno ereptus eram.
Erat, ac si stellæ geminorum essent..... inflexa in domum dirutam [25]),
Ac si duæ stellæ, Farkadan dictæ, duæ essent manus sagittas aleatorias versantis, cui, ut sagittas verset, instat collusor.
Si a Coleibo eruerentur sepulchra, indicaret in Dzanajeb, qvisnam Zir sit.
Ego reliqvi in Varedat Bagirum in sangvine, sicut camelum.
Dilaceravi per eum domus Obaditarum: aliqva injuria ad medendum pectoribus potentior est;
Qvamvis justum lytrum pro Coleibo non sit, qvum prodibat puella, alias post velamina custodita.
Nos et filii patris nostri mane eramus in tractu Oneizah [26]) *similes duabus molis circumeuntibus.*
Lanceæ nostræ erant, ut funes putei distantis et fundi remotioris ab eo, qvi funibus situlam attrahit.
Non desiit eqvitatus subsistere circa eos, ac si eqvitatus in stagno [sangvinis] *surgeret.*
Et nisi ventus fuisset, sane audivissent incolæ Hogri tinnitum galearum gladiis percussarum.

(Dicitur, hoc primum mendacium in poesi Arabica apparuisse; nam inter Dzanajeb et Hogr septem noctium est iter). Porro cecinit:

---

23) Cfr. Nuveir. in hist. pr. regn. Arab. p. 115. 24) Sc. ob cædem fratris mei. 25) Non intelligo.
26) qvo loco proelium committebatur, cfr. hist. pr. regn. Arab. pag 113, ubi pro Oneirah legendum Oneizah.

Occiderunt Coleibum; nihilominus dixerunt: noli grassari! Grassabor, per dominum domus locis sacris præditæ!

Donec senex, postqvam præ gravitate diu se abstinuit, ductus moerore ob ea, qvæ viderit, sibi mordeat pollicem,

Et oberrent dominæ velaminum, nudæ velo, mulcentes antias orphanorum.

Item hoc:

Juvenis puella, haud dedecus mansionum, candida, lepida et concinna, svavis amplexu,

Meo pectori suum appressit, dicens: o Adi! certe custodiverunt te custodientes puellæ.

Ex iis carminibus, qvibus Coleibum epicedio celebrabat, lubet afferre:

Utiqve sub lapidibus [reconditus est] *vir providus, propositi tenax, litigator, acer adversarius, serâ præditus* [ɔ: a qvo nil extorqvere posses],

Serpens, qvi si qvem calcatus pungeret, illi nil juvaret exspuitio fascinatoris.

Samuel utiqve fidem tibi exsolvit.

Ille est Samuel, filius Aadijæ e Judæis Jatsrebi, de qvo dicitur in proverbio: *Samuele fidelior.* Nimirum Amrulkeis, filius Hogri, Cendita, occiso patre suo rege Cenditarum, ad auxilium ab imperatore Græco petendum abiens, qvum in itinere transiret Taima, ubi erat arx Samuelis, Ablak (ɔ: albo-nigroqve colore variegata) dicta, cujus Amrulkeis in carminibus suis meminit, centum loricas armaqve apud Samuelem deponebat, et deinde iter suum perseqvebatur. His auditis, Harets, filius Dsalemi, veniebat, loricas armaqve rapturus; qvæ qvum negaret Samuel tradere, et in arcem suam se includeret, Harets filio ejus potitus, minabatur, se eum jugulare velle, si minus loricas redderet. Sed nihilominus negabat Samuel; qvapropter Harets, adspiciente patre, juvenem medium rescindebat, et truncabat; deinde, irrito conatu, abibat. Hac de re cecinit Samuel hoc suum poema:

O foemina me culpans! ne qvæso me culpes! qvoties mandato culpantis me opposui!

Promissis stans servavi loricas Cenditæ. Utiqve ego, qvum aliqvot vituperaverint, promissis steti.

Die qvadam mihi præcepit (pater meus) *Aadija: ne destruas, o Samuel! qvid exstruxerim.*

Mitte me! tu rectâ viâ insiste! si ego errarem, cave tibi, ne erres, sicut ego pro tua opinione erravi.

Interea Amrulkeis, anteqvam ad Taima rediret, exspirabat; Loricas vero Samuel, donec ipse obiret, aliis tradere negabat. De eo proverbium dictum est; qva de re ait Aâscha in hisce:

Esto, ut Samuel, qvando eum heros cingebat cum exercitu impedimentis gravi et numeroso, instar nigredinis noctis.

Dixit: hinc perfidia, illinc orbitas: tu inter has duas conditiones positus es: elige; sed neutra conditio erat optabilis.

Samuel haud diu hæsit; tum ei dixit: occide captivum tuum! ego clientem meum tuebor.

Samuel erat inter celebres poetas ante Islamismum; ab eo compositum est carmen celebre in literam Lam exiens, qvod in Hamasa exstat:

Qvum homo existimationem suam culpâ haud contaminet, pulchrum est omne pallium, qvo induitur.

Qvum res dubia sit, et appareant consideranti exitus ejus,

Et deserant debiles fratres suos, et pectus validum, qvod ovi testam perforavit, subsistat, eodem loco defixum,

Ego præfero ei, qvod naturæ meæ conditionibus commodius est, id, qvod pulchrius est; hoc observandum credo.

Item hoc:

O utinam scirem, qvid præficæ meæ, qvando mortuus defleor, mihi reprehensuræ sint.

Num dicent: non peribis, nam nonnunqvam belli calamitatem fortitudine et facilitate discussisti,

Et qvod jure tibi deberetur, sumsisti, nemine adversante; aliisqve, qvod jure iis deberetur, nemine disceptante, dedisti.

Ahnaf utiqve veste tua se induit.

Ille est Ahnaf,[27]) qvi in proverbio sistitur exemplar mansvetudinis et principatus. Verum ejus nomen erat Dhahac, vel, ut dicitur, Dsachr, filius Keisi, filii Moaviæ, filii Hedsni, Saâdita. Prænomine Abu Bahr appellatus est. Licet tempus prophetæ assecutus, eum non adspiciebat; verum propheta pro eo precabatur, ut ex hac Ahnafi narratione patet: dum sacram domum, chalifa Omaro, filio Chatthabi, circumibam, mihi occurrebat vir qvidam, qvem cognovi. Manum meam prehendebat, dicens: nonne tibi lætum nuntium afferam? Affer! respondi. Annon meministi, inqvit, temporis, qvum legatus Dei me ad gentiles tuos Saaditas mitteret, eos ad Islamismum amplectendum invitaturus. Qvum igitur eos invitarem, iisqve novam religionem offerrem, tu dicebas: "sane ad bonum eos vocat, neqve audio, nisi pulchrum." Qvum ad prophetam reversus, tua verba eum edocerem: "o Deus!" inqvit, "condona Ahnafo peccata!" Appellatus est Ahnaf, qvia mater ejus, infantem subsultim motitans, dicebat: per Deum! nisi loripes esset in pede, non foret ullus inter juvenes vestros ei par. Dicitur in sexta conjugatione: tahanafa vir in incessu suo, qvando unum pollicem alteri obvertit.

Ait Abdalmalec, filius Omeiri: Cufam venit ad nos Ahnaf una cum Modsâbo, filio Zobeiri, neqve unqvam faciem vidi omnibus numeris deformiorem; erat nempe macilentus, calvo capite, dentibus inter se compactis, oculisqve pætis et cæculis; qvum autem loqvi coeperat, se suiqve animi dotes prodidit. Ait Schaâbi, Abu Musa Aschârensem legatos urbis Basræ ad Omarum, filium Chatthabi, et inter eos Ahnafum, filium Keisi, misisse. Legati, ad Omarum recepti, unusqvisqve suam ipsius causam, orabant. Ultimo loco ad Ahnafum pervenit disserendi munus. Hic itaqve, postqvam laudes Dei celebraverat, prophetæqve Dei bene precatus erat: "deinde," inqvit, "o princeps fidelium! Arabes Egyptum incolentes in mansionibus Pharaonum hospitantur: Arabes Syrici in mansiones Cæsaris descenderunt: Cufenses Cosrii sedes arcesqve occuparunt inter fluvios, aqvâ dulci plenos, hortosqve feraces, et qvasi in oculo cameli, et tanqvam foetus camelinus in membrana, degunt: iis adferuntur fructus ipsorum, nondum al-

27) Cfr. de eo Ann. Mosl. T. I, p. 413 seq.

terati et deteriores facti; Basrenses autem descenderunt in terram salsuginosam, sterilem et fere aridam: Hinc nostra regio mari salso et fervido alluitur, illinc vicina est deserto, ita ut ea, qvæ venum advehuntur, qvasi per fauces struthiocameli ad nos veniant. Eleva itaqve vilitatem nostram, refice damnum nostrum, justam nobis constitue nostram mensuram et pondus, atqve impera, canalem nobis fodi, qvo aqva dulcis et jucunda fiat." Omar legatis respondit: "nonne potuistis sic loqvi, uti hic Sajed s. princeps; est enim, per Deum! princeps." Hæc verba [ait idem Abdalmalec], sæpius ab Omaro repeti, audivi. Deinde Omar per integrum annum Ahnafum apud se retinuit; qvo finito: "o Ahnaf!" inqvit, "ego te tentavi, sed mihi placuisti; te nempe apud me retinui, ut penitus te cognoscerem; audivi enim legatum Dei dicentem: cavete vobis ab hypocrita erudito. Veritus qvidem, ne talis esses, nunc te reperi immunem vitio, qvod metuebam." Dein eum liberaliter donatum dimisit; neqve desiit Ahnaf nobilitate eminere usqve ad fata. Tam prudenter et mansvete suam tribum gubernabat, ut centum millia gladiorum, eo jubente, evaginari possent. Emiri magnarum urbium ad eum in rebus anxiis confugiebant. Qvum Ahnaf bellum vellet, dicebant homines: *irata est Zobra*, qvæ verba in proverbium abiere. Zobra autem erat ejus puella, cui morem gerebat; hinc, qvum exprimere vellent, iratum esse in bello Ahnafum, dicebant, Zobram iratam esse. Ahnaf dicere solebat, se ad Keisum, filium Adsemi, mansvetudinem discendi causa iterum iterumqve adiisse, qvemadmodum ad peritum discendi causâ itur. Narravit Chaled, filius Dsafvani, se in Rudsafah[28]) fuisse apud Heschamum, filium Abdelmaleci, qvi ipsum jussit narrare de ratione, cur Ahnaf Sajed s. dux ipsis creatus esset, et de obseqvio, qvod ei præstabant. Cui respondi [ait Chaled]: si velles, tibi narrarem de una ratione, cur dux crearetur; et si velles, de duabus, et si velles, de tribus. Qvin etiam, si velles, tibi narrarem de eo per totam vesperam, ita ut non sentires, te jejunare, (jejunabat nempe die Jovis). Dic mihi igitur, inqvit, primam rationem: maximus omnium erat, qvantum scio, sui moderator, ita ut qvamcunqve rem vellet, vel ad se inclinaret, vel a se declinaret. Mox vero, recordatus, qvocum loqverer, addidi: exceptis chalifis [sc. maximus erat sui moderator]. Commemorasti, respondit chalifa, primam rationem amplam et sufficientem; secundam qvoqve dic mihi rationem! Respondi: vir potest magnus esse sui moderator, neqve tamen intelligens honesti et turpis; verum is dominium sui non impulit, nisi ad honesta, neqve id prohibuit, nisi a turpibus. Attulisti, inqvit, conseqventiam primæ rationis, qva deficiente, illa haud utilis erit. Qvænam vero est tertia ratio? Respondi: potest vir magnus esse sui moderator, honestiqve ac turpis probe intelligens; veruntamen sæpe rem non prospere gerit, neqve famam conseqvitur. Ahnaf autem celebritate apud homines floruit. Per patrem tuum! respondit Hescham, probe duas rationes cum tertia conjunxisti; qvid autem restat, qvod mihi horas jejunii fallere posset? Vita ejus anteacta, respondit Chaled, et per reliqvum diei de Ahnafi rebus gestis chalifæ narravit.

De Ahnafo traditæ sunt pulchræ narrationes, sapienter enuntiata, et qvæ improbantur pauca qvædam. Inter narrationes de ejus benefactis afferamus, qvæ aliqvis famulorum ejus narraverit: Ahnaf noctu multus erat in precibus, et qvum inter precandum ad lucernam appropinqvans interdum digitum suum in eam immisisset, tantummodo dixit: au! his verbis additis: qvid impulit te ad hoc vel illud hac vel illa die patrandum? Qvum aliqvando vir apud eum qvereretur de dolore

28) De urbe Rudsafah vide Ann. Mosl. T. I, p. 449.

dentis sui, respondebat Ahnaf: triginta abhinc annis abiit lux utriusqve mei oculi, neqve id qvisqvam comperit. Omar chalifa eum interrogavit, qvemnam cibum maxime amaret? cremorem lactis et tubera, respondit Ahnaf. Hæc autem duo edulia monuit Omar, eum haud memorasse, qvia ea præ aliis amabat, verum qvia Moslemis cupiebat soli ubertatem, et cremor lactis tuberaqve non nisi in solo fertili reperiuntur. Aliqvando cum eo solus erat vir, qvi foedis convitiis eum proscindebat. Ahnaf surgebat, sed abeuntem seqvebatur convitiator; Ahnaf vero, qvum ad gentem suam pervenerat, resistens: mi frater! inqvit, si qvid adhuc tibi restet dicendum, ut propere id dicas, velim; alias enim timeo, ne, si gentiles mei tua convitia audiant, pereas. Tibi dicam, respondit, contumelias, qvæ tecum in sepulchrum inibunt. Cui Ahnaf: in tuum, inqvit, sepulchrum, per Deum! minime in meum inibunt. Interrogatus, qvibus artibus dominaretur, respondit: si homines aqvam fastidirent, eam qvoqve non biberem. Qvum aliqvando una cum aliis legatis Iracensium veniebat ad Moaviam, iis, anteqvam admitterentur, declarabat conclavis chalifæ custos, principem fidelium eos sacramento adigere, ne ullus eorum nisi suam ipsius causam diceret, [nil de rebus publicis loqveretur]. Qvum itaqve coram chalifa admissi erant, ita orabat Ahnaf: Nisi princeps fidelium id expresse vetuisset, eum edocerem, adversum casum incidisse, et infortunium supervenisse, qva de causa ii omnes gratia et auxilio principis fidelium egent. Macte! o Abu Bahr! respondit chalifa, absentium et præsentium tuorum civium vicibus functus es, eorumqve causam scite dixisti. Aliqvando Moaviah in memoriam Ahnafo revocavit ejus cum Ali, filio Abi Thaleb (cujus faciem Deus honoret) junctam societatem, proeliaqve Saffainensia. O princeps fidelium! respondit Ahnaf, corda, qvibus antea te odio habuimus, adhuc intra sinus nostros sunt, gladiiqve, qvibuscum antea contra te pugnavimus, adhuc super scapulis nostris pendent; si igitur velis, tuâ mansvetudine corda nostra turbida reddere studebis clara et limpida. Imo hæc facere studebo, respondit Moaviah.[29]

Ad ea vitia, qvæ Ahnafo opprobrantur, pertinet res ejus cum Zobeiro, filio Avami, qvo Deus acqviescat. Qvum nempe Zobeir die s. proelio Cameli e pugna aufugerat, et, misso certamine, per terram Tamimitarum transiens, domum tendebat, vir qvidam Ahnafum edocebat, Zobeirum modo advenisse. Ahnaf respondit: Qvid cum eo faciam, qvi inter duos exercitus, alterum alterum, occidentes conjunctus fuit,[30] et nunc ad gentiles suos evadere vult. Abeuntem Zobeirum Ibn Garmuz secutus, perfide trucidavit. Homines proinde dixere, Ahnafum verbis suis revera eum occidisse, et Ibn Garmuz modo ex ejus sententia egisse. Porro Ahnaf reprehenditur, qvia, qvum ad eum pervenerat epistola Hassani, filii Alii, qva implorabat ejus auxilium, respondebat: certe experti sumus Hassanum, gentemqve Hassani, neqve apud eos invenimus scientiam reipublicæ regendæ, neqve artem pecuniæ servandæ, neqve peritiam stratagematum. Ejus igitur precibus haud annuebat. Porro Ahnafo objicitur ejus obtemperatio suæ puellæ Zobræ; interrogantibus autem respondit: qvomodo ei non obedirem, cujus qvotidie egeo? Præterea Ahnafo opprobratur: Aliqvando vir qvidam, ad eum accedens, colaphum ei infligebat. Causam interrogat Ahnaf. Alter respondet, sibi promissum esse proemium, si principi Tamimitarum co-

29) Cfr. Ann. Mosl. T. I, p. 415.

30) Cfr. Ann. Mosl. T. I. p. 295 seq. Ibi p. 298 pro العاربين legendum الغاربين, qvod etiam ab adjecto العسكرين patet.

laphum infligeret. Rursus Ahnaf: ego, inqvit, non sum princeps Tamimitarum, verum is est Haretsah, filius Kodamah. Abit itaqve ad Haretsah, eiqve colaphum infligit; Haretsah autem manum ejus detruncat. Homines proinde dixere, Ahnafum reapse manum ejus detruncasse. Deniqve Ahnafo objicitur, qvod, qvum Amru, filius Ahtami virum ad eum mittebat, qvi ei insidiandi causa interrogaret, qvænam patris ejus opes essent, responderet Ahnaf, rem perspiciens: modicum ei erat camelorum agmen, unde habebat, qvo hospitem exciperet, suisqve vitæ necessaria prospiceret; verum non erat Ahtam (cui fracti sunt primores dentes) neqve excoriator. Hæc est recensio ejus mendarum, qvatenus memoria earum conservata est; verum prope ad eas accedit, qvod apud aliqvem aliqvando vestem consuendam curaret, et deinde vestem diu flagitaret; cujus autem flagitationis pertæsus, filium suum manu prehensum ad sartorem deducebat, his utens verbis: huic, cum obiverim, vestem trade.

Hæ ejus sententiæ sunt: nil boni est in voluptate, qvæ poenitentiam parit: Minime pauper fit, qvi se continet: accipite excusationem ejus, qvi se excusat: noli validior esse in male faciendo, qvam in bene faciendo: scito, aliqvid (sc. bene facta) e mundo tuo te in sepulchrum tuum comitari: eroga pecuniam, ubi justum est: noli aliis pecunias recondere et asservare: invidus non mansvetus est, neqve mendax virilis. Aliqvando dixit, se nunqvam repulsam tulisse; causam interrogatus, respondit, qvoniam absurda non peto. Rogatus ab aliqvo, viam humanitatis ei monstrare, respondit: compara tibi mores liberales, et abstine rebus turpibus et detestandis! Porro dixit: annon tibi indicabo morbum gravissimum? Indica mihi! respondit alter. Morbus gravissimus ille est, inqvit, si qvis culpam absqve emolumento lucretur. Aliqvando dixit: amicitia olim pura puta erat; utinam hodie saltem blandiens esset!

Inter carmina ejus sunt hæc:

Si liberalitas mea multarum opum auxilio juvaretur, sane benefacerem, et munificus essem;

Qvoniam humanus esse neqvit, qvi divitiis non abundat.

Sæpe ad eum sedit vir aliqvis valde taciturnus, qva de causa Ahnafo placuit. Aliqvando autem, misso silentio: o Abu Bahr! inqvit, potes super vertice Mesgidi ambulare. Mi frater! respondit Ahnaf, usqve eo provectus sum ætate, ut id præstare haud valeam. Deinde cecinit:

Qvot taciturnos putas entia esse rationalia! virtus aut labes eorum apparet e sermone.

Lingva juvenis dimidia est ejus pars; altera dimidia pars est cor ejus; neqve restat, nisi species carnis et sangvinis.

Sunt, qvi Ahnafo hos versus attribuunt; sunt qvoqve alii, qvi eum auctorem esse negantes, dicunt, eum modo citasse, et in suum usum hos versus applicasse.

Ahnaf Cufæ anno fugæ sexagesimo nono exspirabat. Modseb, filius Zobeiri,[31]) ejus feretrum proseqvebatur, pedes et absqve subligaculo; et primus erat Emir, qvi ita feretrum viri magni proseqvebatur. Qvum in sepulchrum suum deponebatur, surgebat mulier, hæc dicens: "o Deo care, si qvis alius, amiculo ferali involutus! Deum rogamus, qvi desiderio tui nos tentavit, ut amplum reddat foramen tui sepulchri, et die resurrectionis tuæ tibi propitius sit. Per eum, cujus jussu per temporis spatium exstitisti! certe laudatus et dilectus vixisti, et decessisti

31) Basræ præfectus, vide Ann. Mosl. T. I, p. 413.

martyr et desideratus. Certe fuisti hominibus propinqvus, qvamvis inter homines peregrinus. Deus nobis tibiqve propitius sit!

Hatem utiqve tuis divitiis liberalis fuit, tuaqve comitate hospites excepit.

Est ille Hatem, filius Abdallæ, filii Sâidi, Thaita, prænomine Abu Sefanah, et Abu Adi. Tres viri apud Arabes ante Islamismum ob liberalitatem celebres sunt, nempe: Hatem Thaita, Harm, filius Senani, et Caab, filius Mamah; attamen aliis duobus celebrior est Hatem, qvi natale prophetæ tempus qvidem assecutus, ante missionem ejus decessit. Narratur de Ali Ibn Abi Thaleb, cum aliqvando dixisse: "Qvam parci sunt multi homines benefactorum! Mirum sane, qvomodo vir, ad qvem frater ipsius Moslemus, rei alicujus indigens, venerit, se ipse non putet bono dignum! et si vel præmium non speraret, et poenam non timeret, eum tamen deceret certatim properare ad actiones viri indole generosi; tales enim actiones ad viam felicis successus ducunt." His auditis, vir aliqvis surgens: o princeps fidelium! inqvit, num hæc a propheta audivisti? Audivi, respondit Ali; nimirum inter captivos Thaitarum, qvi ad prophetam adducebantur, erat puella longo collo et nigricante rubroqve colore. Qvam qvum conspexerim, ejus amore captus, dixi: eam a propheta expetam. Qvum vero loqvi coeperat, facundia ejus in oblivionem mihi adduxit pulchritudinem; dixit nempe: o Muhammed! si tibi placeat, mitte me, neqve me indigne habendo tribus Arabum ignominia affice; ego enim filia sum principis gentis meæ, meusqve pater captivos missos faciebat, famelicos saturabat, nudos amiciebat, pacem salutemqve disseminabat, neqve unqvam rogantem aliqvid sibi necessarium repellebat. Ego sum filia Hatemi Thaitæ. O puella! respondit propheta, hæc est descriptio hominis fidelis; si pater tuus Moslemus fuisset, sane Dei misericordiam ei precaremur; mittite eam, ejus enim pater actionibus viri nobilis studebat, qvales Deus amat. Adi, filius Hatemi, prophetæ dixit: pater meus pauperibus cibum præbuit, mancipia manumisit, propinqvos donis donavit; num mercedem horum benefactorum accipiet? Pater tuus, respondit propheta, assecutus est, qvod expeteret, (intellexit famam et gloriam). Primum Hatemi liberalitatis indicium apparuit, cum pater ejus aliqvando eum, tunc temporis juvenem, camelis suis pastorem loco sui præponebat. Tum enim prætervehebatur eum turba poetarum ad Nomanum III, regem Hirensem, proficiscentium, inter qvos Obeid, filius Abradsi[32]), Baschr filius Abi Hazem, et Nabeghah Dzobijanensis.[33]) Interrogabant Hatemum, an hospitio ipsos accipere vellet. Qvibus, sibi ignotis, Hatem: rogatis, inqvit, hospitium, qvamvis camelos oviumqve gregem, ad vos hospitio accipiendos sufficientem, videritis: modo descendite! Deinde, qvum descenderant, cuiqve eorum mactavit pecora, et postqvam sciscitatus nomina eorum cognoverat, inter eos camelos et oves distribuit. Pater ejus reversus dixit: qvid fecisti? respondit: ornavi te torqve gloriæ æternæ, non minus indelebili, qvam torqves columbæ est. Bene! haud curo, respondit pater.

Conjux Hatemi Navar hæc narravit: accidit nobis annus, qvo terra frigore horrebat, et nutrices parcum alimentum liberis suis præbere cogebantur; hujus anni nocte qvadam, frigida admodum et longinqva,[34]) vociferabantur qvasi certatim liberi nostri Abdallah et Adi, atqve puella

32) Vide hist. pr. regn. Arab. p. 15. 33) Vide l. l. p. 48.
34) Ad verba: distanti ab utroqve latere.

Sefanah; qvapropter ad pueros sopiendos Hatem, ego vero ad puellam sopiendam surgebam; neqve autem, per Deum! antea tacebant, qvam tertia pars noctis effluxerat. Ut liberi dormiverunt, ego et ille dormitum ivimus; Hatem autem narrationibus me detinuit. Qvid vellet, gnara somnum fingebam, qvamvis non obdormirem. Qvid ei est? inqvit, dormitne? Tacebam. Qvum deniqve stellæ jam occidebant, tollebatur infima tentorii pars. Qvid hoc? interrogabat Hatem. Est vicina tua N. N., respondebatur. Qvid tibi vis? Ad te veni, respondebat, a pueris, qvi præ fame, sicut lupi, certatim vociferantur. Huc festinanter, inqvit, liberos adduc! Qvid paras? interpellabam, per Deum! qvoqve tui liberi præ fame vociferantur. Silere me jussit. Interea mulier, qvæ abiverat ad liberos arcessendos, redux duos portabat, qvatuorqve habebat juxta se incedentes, ac si esset struthiocamela, a pullis suis circumdata. Hatem autem ad eqvum suum Golab surrexit, eumqve jugulatum decoriavit, atqve mulieri cultrum tradidit. Deinde mihi præcepit, ut liberos meos e somno excitarem. Qvibus expergefactis, qvum comedendi causa conveneramus: foedus, inqvit, est cibus, qvem soli comeditis absqve vicinis nostris jejunis. Circumivit itaqve ad singula tentoria, convocans, et clamans: est vobis ignis! Convenerunt. Hatem vero pallio se operiens, et seorsim a nobis sedens, comedentes nos intuebatur; ipse vero, per Deum! ne frustulum qvidem carnis gustabat, qvamvis aliis forte longe egentior esset. Illucescente die, nil de eqvo restabat, nisi ossa, aut ungulæ.

Narravit Ibn Arabi, Hatemum aliqvando ab Anazitis[35]) captivum ductum, a foemina qvadam jussum esse venam ferire camelæ. Ita nempe apud eos comparatum erat cum Alfadsd s. venæ sectione: aliqvam venarum camelæ incidebant, deinde sangvinem collectum et assatum comedebant. Hatem autem camelam jugulavit; qvapropter mulier ei colaphum inflixit. Hinc dixit: *si mulier armillâ prædita* [non foemina vilis et abjecta] *colaphum mihi inflixisset!* qvod effatum in proverbium abiit. Qvum deinde mulieres ei significarent, se modo venæ sectionem voluisse, respondebat: hæc est mea venæ sectio, et more dialecti Thaiticæ pronuntiabat: Fazdi anah, pro: Fadsdi anq.

Narravit Modaiensis, catervam Asditarum et Keisitarum ad Nomanum proficiscentium Hatemo, cui occurrebant, dixisse: gens nostra, qvam in sedibus suis reliqvimus, bene tibi precatur, nobisqve ad te epistolam dedit. Qvalis est? interrogabat Hatem. Recitabant ei Asditæ carmen a Nabeghah in ejus laudem compositum. Absoluta recitatione, dicebant: pudor nobis vetat rem a te petere, cujus tamen magnopere egemus. Qvænam res est? interrogabat Hatem. Aliqvis itineris comes, respondebant, arhala, id est: camelus, qvo vehebatur, amissus est. Sumite, inqvit, hanc meam eqvam, eiqve vestrum comitem imponite. Sumserunt eqvam. Hujus vero pullum ligabat ancilla [Hatemi] veste sua, sed nihilominus aufugiens matrem suam seqvebatur. Ancilla igitur eam ut reduceret, perseqvebatur. Hatem vero clamabat: vestrum est, qvod vos seqvitur. Abierunt itaqve cum eqva, pullo eqvino, et ancilla. Talia sunt multa Hatemi generosa et egregia facta, ejusqve celebritas admodum cantata est.

Mater ejus Atab, filia Afifi, ob liberalitem suam custodia claudebatur. Suas nempe opes erogabat; qvapropter fratres ejus, postqvam profusione opum eam arcere frustra conati erant, necessaria ad victum ei præbentes, jure rerum suarum per integrum annum interdicebant, ut

35) Vide Tab. VIII in Eichhornii mon. ant. hist. Ar. pag. 121.

forte prodigalitate sua desisteret; verum, anno elapso, qvum fratres eam compotem agminis camelorum suorum fecerant, ut ex eo fructum caperet, totum agmen mulieri cuidam Havazeniticæ, ab ea emendicanti, donabat his verbis: Per Deum! paupertatem ita gustavi, ut juraverim, me nunqvam repellere nolle petentem. Hatem inter poetas præcelluit. Ex optimis ejus carminibus sunt hæc:

O tu, qvi me [ob liberalitatem meam] *culpas! certe opes non sunt perennes! certe divitiæ sunt commodatum! modo igitur prospice tibi ex iis commeatum itineris!*

Qvot liberalium liberalitatem hodie perdiderunt malæ suggestiones, qvæ de paupertate crastina eos monuerunt.

*Qvoties reprehensi sunt majores mei! reprehensio*36) *tamen liberalitatem eorum non prohibuit; verum e manibus eorum creata est manus mea* [qva dona largior].

Item dictum ejus, qvo uxorem suam alloqvitur:

*O Mavi!*37) *opes mane veniunt et vesperi abeunt, et remanent ex opibus narrationes* [de liberalitate divitis] *et honesta memoria.*

O Mavi! nil prodest opulentia terræ [sepulchro], *qvum aliqvando angusta facta sit, et arctatum sit in ea pectus.*

O Mavi! qvando cadaver meum mane conditur in segmento terræ, ubi apud me est neqve aqva, neqve vinum,

Videbis, id, qvod [largiendo] *perdidi, mihi non nocuisse, manumqve meam ab eo, qvod avarus retinui, vacuam esse.*

Certe norunt homines, qvod Hatem, si voluisset opes congerere, ditissimus fuisset.

At ego non intermittam per opes meas benefacere; primum nempe curo ex iis viaticum dare, deinde largiri, qvæ in futurum tempus recondi possint.

Tempus nostrum paupertate et divitiis nos tentavit: pastumqve nobis rigavit fortuna utroqve utriusqve [et paupertatis et divitiarum] *poculo.*

Neqve autem nos auxere injustitiâ erga propinqvos divitiæ nostræ, neqve effecit paupertas, ut minus, qvam oportebat, benefaceremus.

Item hoc, qvo describit hospitem, noctu venientem,

Ululantem, desperantem, similem insano, qvamvis in eo non sit insania, sed techna, qva studet adipisci, id qvod expetat.

Accendi ignem meum, deinde flammam ejus reddidi conspicuam, meumqve canem e domo mea foras expuli, [ut viator latratum ejus audire posset].

Hospiti advenienti dixi: bene sit! felix sit tuus adventus! rectâ institisti via! verum ei non assidebam, ab eo expiscandi causâ.

Surrexi autem ad camelos, qvibus dens anterior eruperat, præstantesqve et nobiles, qvos parabam edulium, qvod jure hospiti debetur.

---

36) مَلام, reprehensio, opprobrium. Forte legendum: مُلام.

37) Nomen uxoris ejus, cfr. Ann. Mosl. T. I, ann. hist. p. 33 seq. ubi hi septem versus leguntur.

Item: *Amore affectus sum erga montes, montes Thaitarum, et amore affecta est camela mea juvenca, qvando videt Schauth ahmar.*[38])

Ego eqvos propello, qvamvis ex ungula laborantes; neqve sum e tuis amicis, o filia Ghafzari!

Noli me interrogare, sed interroga qvemcunqve eqvitem, [qvomodo me geram], *qvando eqvitatus oberrat inter hastas fractas.*

Noli me interrogare, sed interroga, [qvomodo me geram] *erga socios meos, qvando jumenta in deserto casum minantur.*

Sane ego sum, sicut lora freni; haud vero vides fratrem belli, [virum bellicosum] *qvi non est macra facie et pulvereo colore.*

Frater belli, si bellum dentibus eum prehendat, id dentibus vicissim prehendit, et si bellum laciniam vestis suæ ultra tibiam suam tollat, homo bellicosus qvoqve lasciniam ſuæ vestis tollit.

Zeid, filius Mohalheli, utiqve eqvitavit tuis femoribus.

Est ille Zeid, filius Mohalheli, filii Zeidani, Thaita, eqves victoriosus, amplissimæ famæ, Islamismum assecutus, cui nomen dedit, et a legato Dei Zeid elchair nominatus. Poeta erat præstantior, qvapropter et inter poetas et inter eqvites habetur. Appellatus est Zeid elchail ob multitudinem ejus eqvorum; opulenti enim et nobiles Arabes alias modo unum duosve eqvos possidebant. Inter multos hos Zeidi eqvos nonnulli, qvorum in carminibus suis ipse meminit, nomine appellati et noti sunt, ut: Hatthal, Camel, Daul, et Lahek. Zeid elchail magnus erat formâ et procerus admodum. Nominatus est osculator mulierum pilento vectarum, qvia mulieres in pilento camelino sedentes, pedes [qvippe valde procerus erat] osculabatur. Est qvoqve appellatus Abu Zobeid, Thaita, et filius pali frictorii mutuæ confossionis[39]).

Abu Omar Scheibanensis narravit, Zeid elchail ad legatum Dei una cum Zer, filio Sodusi, aliisqve Thaitis venisse, et, postqvam camelos suos ad januam Mesgidi procumbere fecerant, intrasse, qvo tempore legatus Dei in templo concionabatur. Qvibus conspectis, propheta: certe ego, inqvit, vos tuebor ab Ozza, et ab eo qvod injustum est; prohibebo vos ab omni noxio, qvod haud prodest, et ab eqvis nigris, qvos colitis præter verum Deum. His verbis auditis, surrexit Zeid elchail, vir forma perfectissimus, qvi, eqvo insidens, pedibus suis terram radebat, ac si asino vectus esset, atqve fidem Moslemicam professus: testor, inqvit, non esse Deum præter Deum, et te esse legatum Dei. Qvis es? interrogavit propheta. Ego sum Zeid elchail, filius Mohalheli.

38) Legendum: شوط احمرا. Kamus ait: شوط موضع ببلاد طي, Schauth est locus in terra Thaitarum. Ab hocce versu incipit longum ab Hatemo Thaita compositum carmen, in Ketab alaghani exstans. Ex eodem carmine qvoqve depromtus est proxime seqvens versus, qvi ita legendus est: واني لمزج للمطيّ علي الوجا وما انا من خلانك ابنة غفزرا. Filia Ghafzari, de qva in eo carmine agitur, Hatemo nubere voluit, uti in Ketab alaghani fuse admodum narratur. [Hæ observationes ab il. D. Kosegarten, Prof. Jenensi, amice et benevole mihi consulenti communicatæ sunt].

39) Cfr. de hac expressione hist. pr. regn. Ar. p. 95.

Immo vero, respondit propheta, tu es Zeid elchair! Laus Deo, qvi te adduxit e tua planitie et monte, tuumqve cor ad Islamismum inclinavit. O Zeid! nemo unqvam mihi laudatus fuit, qvem deinceps conspectum præconiis inferiorem non deprehendi; te solum tuâ famâ majorem video. Alia traditio fert, prophetam dixisse; tibi sunt duæ proprietates, qvas Deus ejusqve legatus diligit, nempe: patientia et lenitas. Qvum Zeid recesserat, legatus Dei: qvantus vir! inqvit, si modo salvus evadat castella Medinæ! Febri autem correptus, Medinæ per septimanam morabatur; deinde qvum febris ingravesceret, urbe relictâ, a sociis suis petebat, ut ad terram Keisitarum ipsum deducerent. Certe, inqvit, inter nos, [inter me et Moslemos], qvum adhuc in statu ignorantiæ versabar, erant inimicitiæ et odii reliqviæ; in posterum autem, per Deum! non pugnabo in Moslemum, donec Deo potentissimo et maximo occurram. Substitit ad aliqvam Garamitarum aqvam, Fardah appellatam, ubi, invalescente febri, ex tempore cecinit:

Num discesserunt socii mei: loca orientis solis tempore matutino; et relinqvor in tentorio in Fardah.....

Utinam me non visitarent illæ, qvæ me visitant, et utinam illæ, qvæ a me absunt, me visitarent!

Zeid elchail, postqvam per septimanam in Fardah moratus erat, obiit. Kabidsah, filius Asvadi, per septiduum de eo luctum instituit; deinde domum misit camelum Zeidi sellamqve ejus camelinam, in qva erat epistola, qvam legatus Dei ad Nabhanitas in Fadac ei dederat. Sellam camelinam Zeido vacuam qvum uxor ejus, paganismo dedita, viderat, eam combussit, et una cum ea epistolam prophetæ. Qvod qvum prophetæ perlatum erat, væ Nabhanitis! clamabat.

Narravit Scheibanensis ex ore Scheichi alicujus Ameritæ, qvi hæc retulit: Nobis aliqvando evenit annus sterilis, qvi opes [ɔ: camelos, oves &c.] perdebat; qvapropter vir aliqvis Amerita, gente sua relictâ, Hiram suos deducebat, jubens eos prope regem commorari, ut forte munificentiæ ejus participes evaderent, donec ipse rediret; atqve jurejurando firmabat, se nolle prius redire, qvam iis opes comparasset; deinde, qvum sibi commeatum prospexerat, abiit. Per septem dies vagatus, pervenit, declinante sole, ad locum aliqvem, ubi cameli aqvatum ducti cubuerant, adqve magnum campestre tabernaculum, in qvo erat fornix coriarius. Apud me, inqvit, dicebam: huic tabernaculo absqve ullo dubio sunt incolæ, et huic aulæ cameli. Tabernaculum intuens, senem conspiciebam, cujus duæ claviculæ tam intricatæ erant, ac si vultur fuisset. Pone eum, me occultans, considebam. Qvum sol occiderat, adveniebat eqves, qvo majorem et corpulentiorem eminenti eqvo insidentem neminem unqvam vidi. Cum eo erant duo servi pedites, et seqvebantur centum camelæ una cum admissario earum. Qvum eqves descenderat, admissarius, genibus flexis, procubuit, et circa eum camelæ. Eqves unum duorum servorum jussit certam camelam, qvam nominavit, mulgere, seniqve lac propinare. Servus, qvum in amplum scyphum mulserat, qvem lactis plenum seni proponebat, abiit. Senex, postqvam semel vel bis e scypho hauserat, destitit. Statim clanculum assiliens scyphum exhaurio. Servus, qvum redierat, eqvitem, herum suum, edocuit, scyphum a sene exhaustum esse. Lætus eqves jussit, aliam certam camelam mulgeri. Servus, mulctâ camelâ, scyphum seni, qvi ex eo semel hauriebat, proposuit, et deinde sustulit. Deniqve herus servi jussit, ovem mactari, cujus assatæ pars seni proponebatur. Deinde qvoqve eqves duoqve ejus servi comederunt. Ego vero morabar, donec dormirent, eosqve rhonchare audirem; tunc camelum admissarium aggrediebar; qvem, solutis vinculis, qvum abege-

ram, camelæ seqvebantur. Per totam noctem, donec aurora illucesceret, vagabar. Multo autem die advenit eqves, qvem agnovi eundem esse, qvocum heri versabar. Festinanter admissarium ligo, e pharetra mea sagittas promo, meqve inter eum camelasqve sisto. Eqves procul consistens, clamabat: solve vincula admissarii! Minime! respondi, Hiræ enim reliqvi mulierculas, qvibus, jurejurando interposito, promisi, me ad eas nolle prius redire, qvam opes iis dare possim; sin minus, moriar. Inani spe sane lactatus es! respondit eqves, extolle mihi capistrum admissarii, in qvo sunt tres nodi, mihiqve monstra locum, qvem sagittâ me ferire velis. Mandata exseqvor. Locum monstratum tam accurate feriebat, ac si manu sagittam infixisset. Ictum repetiit eodem successu. His conspectis, sagittas meas rursus recondo, eiqve me tradens consisto. Accedit ad me, gladioqve et arcu me spoliat. Camelum, inqvit, adscende, et cognosce, me eum esse, apud qvem lac bibisti. Qvid sentis de me? interrogat. Optime, respondeo. Putasne, inqvit, qvod te terrerem, qvi compotor fuisti Mohalheli! Esne Zeid elchail? interrogo. Affirmat. — Benignus itaqve esto erga me! modo abi mecum! — Nil mali tibi accidet! respondet, perseqvens mecum iter ad locum, ubi hesterno die versabar. Si mei essent, inqvit, hi cameli, tibi eos traderem, sed filiæ Mohalheli sunt; at vero apud me subsiste! brevi prædatum excurro. Revera post aliqvot dies apud eum exactos expeditionem contra Nomeiritas [40]) in Mesleh suscipit, camelosqve raptos mihi largitur, atqve in itinere mihi addit protectorem, qvi ab una aqva ad alteram usqve ad Hirah me conducit. Hactenus Amerita.

Adsmâensis narravit, a Zeid elchail aliqvando captos esse in bello Caab, filium Zoheiri, et Hotthejah, poetam. Caab qvidem a gente sua redimebatur, sed Hotthejah qverebatur de suppellectile curta prohibente, qvo minus se redimeret. Verum Zeid elchail respondit:

Dico servo meo, qvum eum captivum duxerim: pensa me, neqve te inani immunitatis spe id lactet, te poetam esse.

Hotthejah respondit:

Si non venerint opes meæ, sane veniet meum encomium ad Zeid, filium Mohalheli.
Non enim fraude nos nactus es, sed tempore matutino nobis occurristi. In angusto loco in montibus congressi sumus.
Vitare student defensores eqvorum ictum lanceæ ejus [Zeid elchaili], *sicut avis, Baghats eltheir vocata, vitare studet ictum accipitris.*

Zeid gratum Hotthejah habens, propitium se præstabat erga eum, qvi suis redditus gratiarum actione et beneficii sibi collati commemoratione Zeidum celebrabat. Qvum postea Thaitæ Bedritas [familiam aliqvam Fazaritarum], captivos duxerant, Fazaritæ poetas Arabum rogabant, ut Lamitas, præcipue Zeidum, satirâ perstringerent; verum poetæ sibi ab iis cavebant. Accedebant itaqve ad Hotthejah, sed recusabat; et qvum ei centum camelas promitterent, dixit: si vel mille camelas mihi daretis, non facerem. Deinde canebat:

Qvomodo satiram componerem, qvum beneficium immortale a Lamitis in dorso arcani [clam hominibus?] *mihi collatum sit!*

E poesi Zeid elchaili afferre liceat:

---

40) Vide tab. gen. VII. in Eichhornii mon. ant. Arab. p. 108.

O Ameritæ! num temporis meministis, qvum mane venit Abu Mutlef, crinibus verticis in nodum ei colligatis,

Cum exercitu tam numeroso, ut in ejus tractibus angulisqve aberrares a tentorio cilicino, videresqve, colles ungulis ejus eqvorum procumbere.

Recusabat consvetudo aqvatorum hastas aversari; et lanceæ meæ negotium necessarium cum Nomeiritis et Ameritis erat.

Item hi versus, qvos composuit, qvum in expeditione aliqvando aliqvis eqvorum ejus claudus factus, ceteros eqvos haud seqvi valeret, ideoqve a Dseidaitis caperetur:

O Dseidaitæ! reddite eqvum meum! tantummodo erga vilem ita, ut vos egistis, agitur.

Nolite vero eum vilem habere! ego enim, o Dseidaitæ! eqvuleum meum vilem non habeo.

Assvefacite eum, sicut ego eum assvefeci, ad eundum noctu, cæsosqve conculcandos.

Soleic, filius Salacah, utiqve tuis pedibus cucurrit.

Ille est Soleic, filius Omari, filii Tebri, Mokaâsita.[41]) Matre utebatur Salacah. Erat anteislamiticus antiqvus, unus ex Arabum Dsaalic s. pauperibus, atqve latronibus furto amoventibus, qvi neqve contingi, neqve ab eqvitibus retrahi poterant. Narravit Ibn Schehab, Soleicum, Saaditam, tempore hiberno solitum esse ova struthiocamelorum in aqvam coeli recondere, deinde sub terra tegere; æstate autem, qvum excursiones eqvitum desinerent, prædatum excurrisse. Viarum ad ova struthionis gnarior erat, qvam avis Katha. In Modharitas non excurrit, verum in Jemenenses, atqve, qvum inde nil lucri sibi redundaret, in Rabiitas. Dicere solitus est: O Deus! tu disponis, cui velis, qvidqvid velis! o Deus! si forem imbecillis, servus essem! o Deus! confugio ad te contra spei frustrationem; qvod enim ad timorem attinet, neminem timeo [ideoqve a te animi fortitudinem non peto].

Narratum est, eum aliqvando eo inopiæ redactum, ut nil ei restaret, peditem domo exiisse, ea spe, fore, ut, si cui occurreret, eum vinceret, ejusqve camelos abigeret. Qvum ingrueret nox, fulgente luna, pallio suo arcte involutus, obdormivit. Interea vir aliqvis in eum se dejiciens, super latus ejus sedebat, jubens, ut se captivum daret. Soleic, levato capite: *nox,* inqvit, *longa est, et tibi fulget luna;* qvod effatum in proverbium abiit. Pugno autem Soleicum percutiebat, dicens: o sceleste! captivum te da. Vexatus sic Soleic, manu sua exserta, ita eum comprimebat, ut crepitum ventris ederet. Crepitumne ventris, inqvit, reddis, qvum superior jaceas. Qvis es? Pauper, respondit, homo, qvi promisit, me ad lares meos haud velle antea redire, qvam dives factus sim. Mecum igitur abi, dixit Soleic. Simul pergentes virum offenderunt, rebus adversis itidem conflictantem. Hi tres, societate juncti, venerunt ad Moraditarum[42]) planitiem, qvam pecoribus abundare, ex alto prospicientes videbant. Incurrere, et aliqvot pecorum abigere haud audebant, timentes, ne a possessoribus pecora reqvirentibus retraherentur. Qvam ob rem Soleic duobus suis sodalibus: haud procul, inqvit, subsistite, donec pastores adiero, atqve, tribusne in confinio versetur, an longe absit, rescivero. Si in confinio sit, ad vos revertar; sin minus, vobis aliqvid dicam, qvod vobis præcipiam; et tunc incurrite. Abiit igitur ad pastores, neqve desiit cum iis sermones conserere, donec elicuisset, ubi tribus versare-

41) Vide tab. gen. V in Eichhornii mon. ant. hist. Ar. p. 87.
42) Vide tab. gen. XII in mon. ant. hist. Ar. p. 141.

tur, eamqve tam longe abesse, ut, si pecora repetere vellet, raptores assequi neqviret. Deniqve Soleic pastores interrogavit, annon carmen vellent. Annuentibus iis, sublata voce cecinit:

O duo mei socii! agedum! familia non est in valle. Sunt modo servi stantes inter camelos abigendos.

Num paululum cunctationem socordiæ eorum adspicietis, an irruetis? Utiqve ego sum mane et vesperi [qvovis tempore] *adveniens.*

His auditis, duo viri Soleico se adjunxere. Camelos propulerunt, eorumqve plerosqve rapuerunt, neqve ad aures familiæ rumor de raptis camelis antea pervenit, qvam latrones jam fugâ præverterant.

Abu Obeidah hæc narravit: Soleic aliqvando vidit præcursores Becritarum Vailensium, qvi descendebant ad Tamimitas invadendos. Soleic eos eorumqve consilium ignorabat. Becritæ vero persvasi, eum, si rescivisset, qvo tenderent, suam gentem de adventu hostis præmonere velle, in eum duos miserunt eqvites, duobus velociter currentibus eqvis vectos, a qvibus concitatus, currere, instar dorcadis, coepit. Postqvam frustra per totum diem eum propulerant, ingruente nocte, dixerunt: præ lassitudine procul dubio prostratum, ulteriusqve currere haud valentem facile capiemus. Mane vero vestigium ejus repererunt; impegerat nempe radici arboris, et qvum eam absiliebat, exciderat arcus ejus, et fractus erat; hujus arcus fragmentum super terram in conspectu jacens invenerunt duo eqvites. Qvid ei? clamarunt, Deus eum ignominia afficiat! nunqvam aliqvem viribus [currendi] magis valere vidimus, neqve semper eum inseqvemur. Deinde recesserunt ambo. Soleic, qvum ad gentem suam pervenerat, de periculo imminenti eos monuit, verum ii ob longinqvitatem stadii eum mendacii arguerunt. Qvapropter cecinit:

Duo Amrui; Amru, filius Gondebi, et Amru, filius Saadi, me mendacii arguunt, sed mendacii arguens mendacissimus est.

Orbatus fuissem his mihi caris Amruis, si non vidissem, qvomodo turba eqvitantium ad familiam [contra familiam Amruorum] *agmina eqvorum duceret.*

Reapse pervenit exercitus, prædasqve egit.

Adsmai narravit, Soleicum aliqvando viro occurrisse Chatsâmitico[43]) una cum ejus uxore, eumqve captivum duxisse. Chatsamita promisit lytrum solvere. Soleic annuebat, ea lege, ut fidem haud falleret, neqve aliqvem Chatsamitarum de se [Soleico] certiorem faceret. Chatsamita itaqve, postqvam jurejurando se obstrinxerat ad fidem servandam, suamqve uxorem pignoris loco apud eum reliqverat, ad suos rediit. Soleic mulierem inivit; hæc vero eum jussit sibi a Chatsamitis cavere, abs qvibus ei timebat. Respondit: Chatsamitæ modo ignobiles, viles, ad vilitatem tritumqve, tanqvam ad stirpem, referuntur ab aliis, et se ipsi referunt. Verum Schebl, filius Koladah, et Anas, filius Modreci, Chatsamitæ, ejus certiores facti, contra eum conspirarunt, neqve id antea rescivit, qvam ad eum in monte noctu venerant, eiqve viam ad effugiendum clauserant. Hinc cecinit:

Qvis nuntiat genti meæ, me occisum esse?
O multos compares reliqvi contemtos!
Multas puellas pulchras et juvenes uxores duxi!

43) Vide Mon. ant. hist. Arabum, pag. 137 et tab. gen. X.

Multos captivos liberavi e vinculis!
Deinde duo Chatsamitæ irruentes eum occidebant.

Qvum aliqvando Soleic prædandi causa excurrerat cum aliqvot viris, qvi metu sitis ab eo aufugerunt, ita ut restaret apud ipsum modo unus vir, nomine Dsarad, qvi [exitium metuens] flebat, hos versus composuit:

Flebat Dsarad, qvum videbat tribum, prope qvam apparebant deserta arenosa et invia.
Dixi ei: ne fleat oculus tuus! sane est decretum, qvod nobis perficietur: revertemur.
Vice Dsarbi, qvod apud gentem tuam accepisti, tibi offeretur caro, et aqva ollarum in paropsidibus mista.

(Dsarb est lac acidum; per aqvam ollarum intelligit jusculum; ac si diceret: dives et contentus eris, atqve carnem in posterum comedes, postqvam hactenus lacte fruitus es.)

Item hoc: *Annon illa me objurgavit, et alienior a me fuit; ei enim placuit carnosus, procerus.*
Id canum reddidit caput, qvod qvotidie viderim mihi materteram in medio virorum.
Ægre fero, eis [materteræ meæ et uxoribus?] *subeundam esse injuriam, measqve opes iis liberandis impares esse.*

Amer, filius Maleci[44], utiqve, tuis manibus usus, lusit cuspidibus hastarum.

Ille est Amer, filius Maleci, filii Gâferi, Dsâdsâita, cognominatus collusor cuspidum hastarum. Prænomen habuit Abu Bara. Mater ejus inter generosissimas foeminarum Arabicarum erat, mater filiorum ideo dicta, qvia Maleco, filio Gâferi, qvinqve peperit filios,[45]) inter qvos Abu Bara, Thofeil, patrem Ameri, filii Thofeili, et Rabiâh, patrem Lebidi. De ea gloriatur Lebid apud Nomanum [regem Hirensem]: "*Nos sumus filii qvatuor matris filiorum.*[46])" (Qvatuor [non qvinqve] ait, qvia metrum id poscebat, et bani accusativus est in elogio). Abu Bara erat inter celebres Arabum eqvites et magnates, cognominatus collusor cuspidum hastarum, qvia Aus, filius Hogri, de eo cecinit:

Colludit cuspidibus hastarum Amer, et expeditæ ei sunt omnes scripturarum ductus [ɔ: tam expedite hastam vibrat, ut inter vibrandum literas scribere videatur].

Alii dicunt, hoc nomen ei impositum esse, qvia Hassan, filius Nomeiri, videns eum coronâ eqvitum cinctum, et cum iis pugnantem, dicebat: hic non est, nisi collusor cuspidum hastarum.

Amer ad prophetam venit, neqve autem Islamismum amplexus est, etsi Gâferidæ[47]) opinentur, eum Moslemum obiisse. Chaled, filius Abdallæ, narravit, Amerum, filium Maleci, Abu Bara, collusorum cuspidum hastarum, ad prophetam advenisse, eiqve duos eqvos totidemqve camelos vectarios obtulisse. Propheta respondit: si munus ab idololatra oblatum acciperem, sane tuum munus acciperem. Obtulit ei propheta Islamismum, sed recusavit, qvamvis ab eo profitendo non longe abesset; prophetæ enim dixit: o Muhammed! ego rem tuam pulchram et præstantem esse video; si qvos e sociis tuis ad gentem meam, qvam domi reliqvi, mittere volueris,

44) Cfr. hist. pr. regn. Ar. p. 96.
45) Cfr. Mon. ant. hist. Ar. Tab. gen. VII, p. 108.
46) Cfr. l. l. pag. 115.
47) Gafer erat avus paternus Ameri.

spero, fore, ut tuæ invitationi morem gerant, et rem tuam seqvantur. 48) Qvod si fecerint, qvantum roboris ei inde accedet! Timeo iis abs incolis terræ Negd, respondit propheta. Cui Amer: noli timere, inqvit, ego eos ita protegam, ut ne ullus incolarum Negdi iis adversetur. Misit itaqve propheta cum eo qvadraginta, vel, ut alii dicunt, septuaginta Ansarios, iisqve ducem præposuit Mondzarum, filium Amrui. Hi, qvum ad aqvam aliqvam Salimitarum, Bir elmaunah dictam, descenderant, castra metati, pastum miserunt camelos suos dossuarios, eisqve pascentibus custodes dederunt Haretsum, filium Dsemmah, et Amruum, filium Omiah. Hezamum, filium Melhani, epistolam prophetæ perlaturum ad Amerum, filium Thofeili, inter viros ex Ameritis præmiserunt. Qvum ad filium Thofeili Hezam, filius Melhani, pervenerat, epistolâ non prælectâ, ille irruens Hezamum occidit, atqve ad ceteros prophetæ legatos invadendos Ameritas concitavit, sed recusarunt; Amer enim, filius Maleci, legatos prægressus ad plagam aliqvam Negdi, eos edocuerat, se socios prophetæ protegere, hisqve adversari ideo vetare. Qvum igitur declarabant, se protectionem Abi Bara violare nolle, et recusabant pugnatum abire una cum filio Thofeili, opem hic implorabat a tribubus nonnullis Salimiticis, qvi annuebant. Filius itaqve Thofeili, qvem ducem sibi præfecerunt, socios prophetæ adortus et occidit præter solum Mondzarum, filium Amrui, cui salutem et securitatem, si vellet, promittebant. Non accipiam, inqvit, a vobis securitatem, qvando pervenero ad locum, ubi prostratus est Hezam. Tamdiu ei securitatem concesserunt. Qvum vero illuc pervenerat, et securitatis promissione soluti erant, cum iis dimicabat, donec occideretur. Harets, filius Dsemmah, et Amru, filius Omiah, cum pecoribus pastum dimissis advenientes, mala suspicabantur, qvia aves prope a loco, qvo socii eorum substiterant, commorabantur. Per Deum! clamabant, occisi sunt socii nostri! Qvum deinde collem aliqvem adscenderant, eos viderunt occisos, eqvitesqve [hostium] adhuc in campo stantes. Mox ipsi petebantur: Harets, postqvam duos hostes trucidaverat, hastis in eum directis transfixus occidebatur: Amruum autem, filium Omiah, qvi captivum se dederat, neqve amplius dimicabat, libertate, antiis præsectis, donabat Amer, filius Thofeili, dicens: mater mea obstricta est ad servum manumittendum, et hunc servum ab ea libertate donandum te constituo. Propheta, certior factus de eo, qvod apud Bir elmaunah acciderat: hæc res, inqvit, ab Abu Bara profecta est; ego qvidem eam improbabam. Mane postridie ejus noctis, qva de clade suorum nuntium acceperat, qvum preces matutinas peragebat, in racâh secunda percussoribus imprecabatur; qvum nempe inter preces peragendas dixerat: exaudit Deus, qvi eum laudet, addebat: o Deus! corrobora violentiam tuam contra Modharitas! o Deus! poenas sume ad Dzacvanitis et Odseibitis, 49) qvi rebelles fuerunt contra Deum ejusqve legatum. Hæc verba per qvindecim noctes pronuntiabat, donec coelitus descenderit versiculus ille: culpa tibi inde non attribuenda est. Inter hæc Abu Bara, tunc temporis senex grandævus et caducus, domum profectus, qvum edoceretur, qvid filius Thofeili patrasset, id moleste ferebat, et, qvamvis præ imbecillitate se vix movere posset, tamen ad filium Thofeili, fratruelem suum, qvem qverebatur fidem sibi datam bis fefellisse, proficiscebatur. Hastâ eum insectabatur, sed aberrans non feriebat. Unde oriebatur inter homines strepitus, sed filius Thofeili eos pacabat, dicens, ictum sibi non nocuisse, patruoqve hoc facinus se condonasse; qvibus dictis, discedebat. Deinde Amer, filius Maleci, se recipiebat ad gentiles suos, qvos

48) Cfr. Ann. Mosl. T. I, pag. 101.
49) Duabus Salimiticis tribubus, qvi cum Amero, filio Thofeili, contra socios prophetæ conspiraverant.

instigabat ad migrandum ad prophetam, et ad vindictam sumendam occisorum, qvi in clientelam ipsius fuerant recepti; sed gravatos tardosqve se præstabant. Qvidam fratruelium ejus ei narrabat, gentiles ejus opinari, accidisse ei mentis alienationem. Proinde ad se invitabat fratruelem suum Lebid et cantricem aliqvam, jubens eam cantare, dum ipse potabat. Deinde: o Lebid! inqvit, si patruo tuo acciderit id, qvod dixisti, et si gens tua opinetur, eum mentis impotem esse, alienationi mentis præstat mors. Lebid cecinit:

Surgite vos duo in locis salebrosis calcatis una cum præficis, et deflete collusorem hastarum,
Abu Bara, in tutando et irruendo strenuum! Auxilium erat egeni et perditi.

Deinde Abu Bara vinum merum potabat, donec exspiraret, dicens, vitam sibi nullius pretii esse, postqvam[50]) Ameritæ rebelles ipsi parere noluerant. Gaferidæ opinantur, eum Muslemum obiisse. Princeps erat domus suæ. Opinantur, eum, qvum Amer, filius Thofeili, fratruelis ejus, cum Elkamah, filio Alatsah, de honore contenderet, a filio Thofeili rogatum, ut in ea contentione de honore auxilium ei ferret, soleas suas, qvamvis ab ea contentione abhorreret, ei dedisse his verbis: auxilium in tua contentione ab iis expete! qvadragies enim in his duabus soleis qvadrantem spolii accepi.

Inter pulcherrimos, qvos audivi, Ameri, filii Maleci, versus, est hoc distichon:

Dedecore afficiat Deus eum, qvi maxime nostrum detrectat excipere hospitem, eumqve,
qvi inter nos se ignavissimum præstat in existimatione patris sui tutanda,
Eumqve, qvi maxime nostrum amat, in tentorium recessim, antico podice, intrare,
qvum colles conspicuam reddant a lateribus ejus catervam eqvitantium.

(القور sunt colles, montes parvi. Dicere vult, avarum, qvando in atrio tentorii sui sedens eqvitem inter latera collium conspicuum viderit, irrepere dorso suo in tentorium suum, aufugientem ab hospite).

Keis, filius Zoheiri, utiqve a subtilitate tui ingenii opem imploravit.

Ille est Keis, filius Zoheiri, filii Godzeimah, Absita, auctor bellorum, suo loco commemorandorum, qvæ inter Absitas et Dzobianitas propter duos eqvos Dahes et Ghabra gerebantur. Erat eqves, poeta, eâqve ingenii subtilitate, ut in proverbio dicatur: *versutior Keiso.* Cujus sagacitatis exemplum exponit Madainensis: vir nempe, Ahvadsi familiam transiens, qvum eo usqve processerat, ut eum conspicere possent, camelo descendebat, arboremqve qvandam adibat, utrem lactarium ei suspendens, et alicui ejus ramorum triticum imponens duasqve crumenas, unam pulvere, aliam spinis impletam. Qvibus peractis, camelum conscendebat et abibat. Ahvads una cum gente sua rem adspexerat; qvum vero eam sibi haud explicare posset, Keisum, filium Zoheiri, arcessere svadebat. Cui, qvum advenerat, Ahvads: nonne, inqvit, mihi affirmasti, nullam tibi rem proponi posse, qvam non expedias, modo antias eqvitum non videas [ɔ: modo mens tua conspectu eqvitum incurrentium non turbetur]. Rem interrogabat Keis. Eam edoctus: *aurora*, inqvit, *clara est ei, qvi duobus oculis præditus est* (qvod dictum in proverbium abiit, et adhibetur, qvum de re evidenti sermo sit); ille vir ab exercitu, contra

50) Vide Sacy Gram. T. I, p. 150.

vos movente, captivus ductus fuit, verum deinde, postqvam, vos de instanti periculo se non monere velle, juraverat, libertate donatus. Hinc vobis rem symbolice ostendit: crumenâ nempe pulveris vobis designare voluit magnum hostium numerum, vos aggressurum: tritico, Hanthalidas esse vos invasuros: spinis, fortitudinem armaqve acuta hostibus esse: lac deniqve indicat, si dulce sit, hostes in propinqvo esse, sin acidum, eos longius abesse. Exercitus hostilis vere advenit, sicut præviderat Keis; Ahvads autem paratus erat ad eum profligandum.

Narratur, Nomanum [III], filium Mondzari [IV], ad patrem Keisi Zoheirum, filiam ejus expetendi causa, misisse, simulqve rogasse, ut aliqvem filiorum suorum ad ipsum mitteret. Zoheir misit filium suum Schas,[51]) qvem Noman honorifice excipiebat, et muneribus oneratum ad patrem remittebat, offerens comitatum ei addere, qvi eum tueri posset. Abnuebat vero Schas, dicens, nil a vi tutiorem se præstare, qvam originem suam a patre ductam. Hirâ igitur solus egressus, in itinere perveniebat ad aqvam aliqvam Ghanitarum, in qva, postqvam comederat et biberat, se lavabat. Prope ad aqvam stabat tentorium Rejahi, filii Aschali, Ghanitæ, ubi una cum uxore sua habitabat. Hic Rejah, videns uxorem suam obtutu defixam in corpore Schasi, musco fragrantis, zelotypia correptus, sagittam crenâ factâ ad jaculandum aptatam in eum immisit, eumqve occidit, atqve vestigium ejus abdidit. Rapuit, qvæ secum Schas apportasset, inter alia: saccum plenum musci et aromatis ex aromate Nomani vestiumqve striatarum e vestibus ejusdem. Zoheir vero, qvum nil de Schaso audiebat, sed resciverat, qvibuscum magni pretii muneribus discessisset a Nomano, neqve tamen cognoscebat, qvis eum percussisset, animo angebatur; Keis autem patri suo promisit, rem fratris sui detegere. Eo igitur consilio providam aliqvam feminam e gente sua ad se vocavit, qvam jussit carnem dissectam et siccatam sumere et inter Ameritas et Ghanitas divendere (annus enim asper erat), eoqve prætextu uti, qvod filiam suam elocasset, eiqve qværeret aroma vestesqve. Ita egit foemina, donec incideret in mulierem Ghaniviticam, qvæ ei, si tacere commissa posset, promittebat rem expetitam suppeditare, simulqve de re Schasi eam edocebat. Aromata vestesqve igitur permutabat carne et adipe, qvam femina Absitica secum gerebat. Hæc vero, voti compos, redux, rem edocebat Keisum, qvi vicissim patri suo eam narrabat, atqve, adjunctis sibi aliqvot Absitis, in Ghanitas excurrens eos dispergebat multosqve occidebat.

Narratur, Keisum in aliqvo suorum bellorum cum Dzobianitis, celebri nempe Schaabi [Gabalah] proelio[52]), in montem cum exercitu et camelis adscendisse, atqve per decem dies constrictos impedivisse, qvo minus biberent ex aqva, cujus magna erat copia in radice montis. Qvum vero Dzobianitæ adscendere montem molirentur, compedibus camelorum solutis, caudam cujusqve cameli prehensam vir armatus tenebat. Ita factum, ut cameli, ad aqvam ruentes, omnia, in qvæ incidebant, contunderent, atqve viri subseqventes adversa omnia ferirent. Dzobianitæ magna clade profligabantur.

Narratur, Keisum, qvum bella infra uberius commemoranda inter hunc duosqve Bedri filios Haml et Hodzeifah, Dzobianitas, jam diu gesta erant, magnas copias comparasse, atqve certiorem factum de accessu hostium, suos jussisse sibi morem gerere iisqve adjurasse, se gladio suo, si male parerent, innixum, sibi in pectus eum ita infixurum, ut a tergo exiret. Parere velle

51) Vide hist. pr. regn. Ar. ante Islamismum, pag. 68.
52) Vide l. l. p. 71.

pollicebantur. Jubente itaqve Keiso, nocte mittebant pecora debilesqve, siqvidem e mansione sua migrare vellent. Mane deinde castris motis, postqvam pecora debilesqve jam longius processerant, super dorsum montis adveniebant. Qvum ibi eis apparerent eqvites hostiles per clivos montis palantes, Keis suis: ingredimini, inqvit, aliam viam, qvam pecora, neqve enim hostibus est voluntas irruendi in arma vestra acuta; tantummodo opes vestras rapere volunt. Hodzeifah, qvum pone se videbat vestigium [Absitarum aliam viam ingredientium], clamabat: Deus eos longius removeat [a pecoribus], neqve eos certiores faciat, postqvam pecora eorum rapta sunt. Mulieres viriqve bellatores Absitarum iter perseqvebantur pone Hodzeifah ceterosqve Dzobianitas, qvi, missis hominibus, ad pecora tendebant. Hæc assecuti, omnia ad unum cogebant, ut nihil evadere posset. Tum qvisqve, qvantum valeret camelorum, abigebat, et seorsim ab aliis auferebat. Ingravescente æstu, Keis suis svadebat incurrere in hostes, qvi prædâ inter se divisâ abigendâ occupati erant. Dzobianitæ haud animadvertebant instantes eqvites, neqve multi cum Absitis dimicabant, siqvidem unusqvisqve de præda sua cogenda domumqve agenda sollicitus erat. Absitæ itaqve magna strage eos fundebant, donec superstites misericordiam obsecrarent. Missis itaqve Dzobianitis, qvippe qvum ducem eorum Hodzeifah asseqvi maxime appeterent, eqvites mittebant, qvi ejus vestigium seqverentur. Interea Hodzeifah, laxato cingulo eqvi sui, ex eo descenderat, et lapidi pede imposito, qvippe metueret, ne vestigium ipsius seqverentur et indagarent, cingulum constrinxerat. Absitæ vero cognoscentes eqvi ejus Chunuf (per Chunuf intelligitur, alterum pedum anteriorum alterum versus [in gressu] inflecti), eum seqvebantur. Ire pergebat, donec opem implorans perveniret ad puteum amplum Habaah[53] (aqvam in loco Habaah dicto sitam); ubi flagrante æstu, una cum fratre Hamlo, filio Bedri, et Vorka, filio Belali, se projiciebat, abjectis armis et ephippiis. Excubitorem qvidem disponebat, qvi hostem specularetur, sed qvamvis hic clamaret, se aliqvem videre velocitate struthiocameli advolantem, nil eum curabant, donec iis, adhuc de eo disserentibus, ex improviso superveniret Schadad, filius Moaviæ, et intercederet, qvo minus eqvos ascenderent. Mox adveniebant Keis aliiqve, donec qvinqve essent, qvorum nonnulli eqvos aggressi abigebant, ceteri in homines in stagno versantes irruebant. O Absitæ! clamabat Hodzeifah, ubi sunt clementes vestri animi? Haml autem, frater ejus, inter scapulas eum verberans: cave tibi, inqvit, a verbo posteris tradendo; id qvod in proverbium abiit. Dicere voluit: cave tibi, ne verbum dicas, qvod tibi detrahet, et, qvum occisus sis, a posteris, ut tuum effatum, celebrabitur. Occidebatur Hodzeifah, iiqve, qvi cum eo erant. Dzobianitæ lacerabantur: Keis in hostibus cædendis modum excedebat; deinde vero poenitebat; qvin epicedio celebri, qvod exstat in Hamasa, deflebat Hamlum, filium Bedri, et primus erat, qvi occisum suum epicedio celebrabat. Tandem Keis nimis diutini belli pertæsus suis svadebat redire ad gentem suam [Dzobianitas], et cum iis pacem componere. I et tecum ibimus, respondebant. Minime! Per Deum! inqvit, nullam intueri possum foeminam Dzobianiticam, cujus aut patrem, aut fratrem, aut conjugem, aut filium non occiderim. His dictis, abiit ad posteros Nameri, filii Kasethi. Postqvam aliqvamdiu inter eos commoratus, uxorem ex eorum gente duxerat, qvum alio migrare vellet, sic concionabatur: o Nameritæ! qvandoqvidem affinitate vobiscum juncta et domicilio mihi inter vos præbito me vobis obstrinxistis, discessurus vobis aliqvot dabo

53) Cfr. hist. pr. regn. Ar. p. 86.

præcepta de iis, qvæ observare et vitare vos oportet: patientes et lente festinantes estote; hâc enim via optime res expetita obtinebitur: Seid v. ducem eum eligite, qvem ducem elegisse vitio vobis non vertetur: promissis state, "fides enim societatem vestram continet:" cui vultis, ultro donate, non rogati: cui vultis, denegate, anteqvam vos instanter flagitat: hospitem bene excipere vobis necessario injunctum est. Ab altera parte cavete vobis a certando pignore posito; hoc enim vitio orbatus fui fratre meo Maleco: cavete ab injustitia, qvæ Zoheirum, patrem meum, et Hamlum prostravit: cavete a justo modo excedendo in sangvine fundendo; certe cædes Dzobianitarum in Habaah a me patrata dedecus mihi contraxit: nolite nimis abundanter et profuse donare, ne forte impares evadatis dando, qvod jure debeatur. His dictis, ad Oman abiit, ubi commorabatur, donec exspiraret. Dicitur nempe, eum, et aliqvem socium Asditam exiisse, et ciliciis indutos, terram peragrasse, victum qværentes e plantis, qvæ ibi crescebant. Tandem vero nocte frigida et immani fame impellebantur tentoria versus gentis cujusdam Arabicæ, unde nidorem carnis tostæ odorabantur. Qvum vero prope a tentoriis accesserant, Keis, magnitudine animi et dedignatione motus revertebat, socio suo dicens: tibi permitto facere, qvicqvid volueris; ego interea morabor in his desertis arenosis, ubi fatalem casum seculorum præteritorum exspectabo. Socius ejus abibat, et rursus reversus reperiebat, Keisum ad arborem aliqvam in ima valle confugisse, et, decerptis aliqvot arboris foliis, exspirasse. Huc tendit Hothejah in isto:

Keis moriebatur, qvia humilia pati dedignabatur. Ingenuus homo abit,
In veste trita, qvæ eum absentem non traducit; qvot enim ingenui homines trita veste sunt induti!

E carminibus Keisi, filii Zoheiri, afferre liceat hæc ex epicedio, qvo Hamlum, filium Bedri, celebrabat, sumta:

Scito, optimum hominum mortuum esse in fovea Habaah, eamqve non deserere!
Nisi tenebræ essent [ɔ: nisi ipse morerer], *non cessarem eum deflere, qvamdiu appareant sidera.*
Sed juvenis Haml, filius Bedri, injustus fuit; et pratum injustitiæ sanitati noxium est.
Puto, mansvetudinem gentem meam limis oculis adspexisse; nam sæpe vilipenditur vir mansvetus.
Tractavi viros, et me tractarunt. Alii erant erga me perversi, alii recti.

Item: *Qvum semel viro permittas injusta oppressione te afficere, mos alià te petit injurià, cujus propositum forte magnum et grave est.*
Hostibus non manifestabis, nisi asperitatem; nemo enim eorum tui miseretur, si circumveniaris.

Item: *Certe cognoscetis a Dzobianitis, qvis, si occursus esset die s. proelio Hifads, avolaret in fauces (?).*
Si vel rapidus ventus vos festucas oculis nostris redderet, non essetis serpentes. 54)

54) قدة, pl. قدات, serpentum genus, Gi.

Amru, filius Ahtami utiqve tuâ facundiâ fascinavit.

Ille est Amru,[55]) filius Senani Ahtami, filii Samii, tribu Tamimita et familiâ Monkerita. Senan cognominabatur Ahtam, qvia dens ejus anterior proelio Colabi frangebatur.[56]) Amru erat e majoribus Tamimitarum Seidis, concionatoribus et poetis tempore ignorantiæ et Islamismi. Erat facundus, facilisqve et expeditus ad explicandum. Vocabatur Muchal ob pulchritudinem suam. Ille et Zebrekan, filius Bedri, ad prophetam venientes, Islamismum profitebantur, et honore ab eo afficiebantur. Aliqvando propheta de Zebrekano, tunc præsenti, Amruum interrogabat. Vir est, respondebat Amru, cui omnes [pr. in utraqve ejus auri] obediunt, magna præditus potentia in gente sua, probusqve eorum, qvibus præest, protector. O legate Dei! respondebat Zebrekan, certe plura de me scit, sed mihi invidus est. Utiqve, pergebat Amru, virilitate parva præditus est, angustum habet stabulum, ubi cameli adaqvandi conveniant, sordidum avunculum, fatuum parentem. O legate Dei! uti in priori meo effato non mentitus sum, ita in posteriore vera locutus sum; ego autem is sum, ut contentus optima qvæqve dicam, sed iratus turpissima qvæqve dicam. Sane est de facundia fascinatio, respondebat propheta. Dissentiunt de sensu hujus prophetæ effati: sunt qvidam, qvi in laudem id dictum esse credunt; bajan (facundia) enim idem est ac fahm (intellectus); appellatur vero sihr ob aciem operationis ejus, et celeritatem, qva cor eam accipit, atqve admirationem ejus, qvemadmodum fascinationem miramur. In eo qvidem omnes consentiunt, qvod ars pingendi verum sub specie falsi et falsum sub specie veri inter summos gradus eloqventiæ sit. Alii putant, id in vituperium dictum esse, qvoniam, ut argumentantur, sihr idem est, ac tamvih (adulteratio, fucus), et bajan est multitudo sermonis, et hypocrisis. Sententiam suam etiam probare student ex hac traditione: pudor et hæsitatio duo sunt rami fidei; clamor vero et facundia duo sunt rami hypocriseos. Prior sententia verior est; tantummodo enim hoc loco vocatur bajan hypocrisis, qvum convenit cum Nida. Otbensis narravit, Ahnafum, filium Keisi, et Amruum, filium Ahtami, advenisse ad Omarum, filium Chatthabi, qvi voluit, ut decerneretur sorte, utri principatus tribus cederetur. Congregatis itaqve Tamimitis, dixit Ahnaf: substitit sagitta aleatoria procul a[57]) gente sua, qvamdiu substitit; qvod effatum inter ejus lapsus censetur. Qvum Omar accesserat, utrumqve jussit surgere et inter se gloriari de rebus suis gestis. Dixit itaqve Amru: Qvo tempore nos, et etiam vos, in mansione insipientiæ s. paganismi versabamur, in qva excellentior censebatur, qvi insipiens erat, sangvinem vestrum effudimus, foeminasqve vestras captivas duximus; nunc vero, qvum in mansione Islamismi versamur, in qva vir mitis lentusqve ad iram præstantior est, Deus nobis vobisqve peccata condonavit. Die illo Amru Ahnafum vicit, et sors excidit genti Ahtami. Hinc cecinit Amru:

Qvum Monkeritæ ad rejasatum me vocabant apud consessum, in qvo stella splenduit manifesta,

Constrinxi iis [Monkeritis] *cingulum meum, et certe olim apud eos ad similes casus constrinxi cingulum meum.*

Anno fugæ qvinqvagesimo septimo exspiravit. Dicere solitus est: strenuissimus vir est is, qvi insipientiam suam mansvetudine inspersit. Ex iis erat, qvi tempore paganismi vinum prohibue-

55) Vide hist. pr. regn. Arab. p. 119.
56) Vide l. l. p. 120.
57) Vide S. de Sacy Gram. T. I, p. 363.

runt, et illud vituperans dixit: si intellectus emi posset, nil esset eo pretiosius; sed mirus est homo, qvi opibus suis stultitiam emat, in caput suum immittat, et in lacinia vestis suæ excernat. E poesi ejus, inter sublimiorem censenda, afferre lubet:

[Hospitem], *qvi post partem noctis finitam ad latrandum* [canem] *commovebat, vocavi, nam prope erat nocturnus adventus nocte hiemali proficiscentis,*

Qvi cum parte priore noctis frigida certabat, ventis et fulguribus vestem ejus complicantibus.

Hospitio eum excepi; neqve vero turpia et inhonesta ad eum loqvebar, neqve, ut aditu eum prohiberem, dicebam, locum nimis angustum esse [ad hospitem excipiendum].

Ei autem dixi: salveto! optatus ades! hic locus pernoctandi probus et perfectus.

Tum surrexi ad camelos, qvibus dens anterior prominebat, pilentaqve gestantes, et abs me sibi timuerunt. Erant cameli magnis præditi tuberibus, turrium instar, longisqve dentibus.

Jubens jugulari camelam primæ foeturæ, qvæ, qvum sistatur prope camelas decimum jam mensem foetus, est, ut admissarius.

Eam igitur aggressi duo mactatores, manifestabant (?), et rapidissime decoriabant eam, animam agentem.

Nobis secabant ejus uber, gibbumqve, et nitebat adeps, qvi accedebat ad congelandum.

Ex ea camela parabatur nobis et hospiti media nocte coena opima, uncta, et vinum vespertinum.

Omnis vir generosus cavet vituperium in convivio hospitali; viro bono inter probos homines via est.

Ita tu vivas! terra non angustior est, qvam ut incolas suas capere possit, sed indoles virorum angustæ sunt.

Retulerunt me origines a Zorarah ductæ ad celsitudinem, et origines a Fedeki[58]) *et Asdo ductæ.*

Prosapiæ, qvæ juvenem in origine excelsi collocant; qvidam enim patrum mancipia sunt.

Item hoc: *Qvum stellæ noctis verserint, ac si essent albæ et præstantes camelæ, qvæ ad desertum accedebant, redeuntes ab aqvatione,*

Omnes altæ sunt præter canopum, ac si esset admissarius, qvi, lassus coitu, camelas prægnatas caudam attollentes mane reliqvit.

Item hoc, omnium, qvæ anterioribus poetis hoc sensu dicta sunt, pulcherrimum:

Ultro citroqve me conjecit dies nova et nox. Utraqve corpus meum attrivit; omnis nempe homo teritur.

Qvum mensem exegerim, novum mensem ineo. Sufficit dicenti, me menses exigere, novosqve inire.

---

58) De Fedeki vide hist. pr. regn. Ar. &c. pag. 109.

Pax inter Becritas et Taghlabitas sane tuâ legatione coaluit.

Becritæ et Taghlabitæ sunt filii Vaili, inter qvos ortum bellum Basus, (de qvo vide supra in historia Gassasi et Mohalheli), per multos annos gerebatur, donec utraqve familia se invicem perdidisset, optimates eorum occisi essent, et Mohalhel belli pertæsus ad avunculos suos demigrasset. Tunc ceteri, qvi remanserunt, pacem inter se reconciliare desiderarunt. Harets [Hogr], filius Amrui, filii Moaviæ, Cendita, rex Cendah, avus [proavus] Amrulkeisi poetæ, nuntio misso, se, ut arbitrum et regem, iis obtulit. Qvam conditionem deliberantes, qvum viderent, suos insipientes rei suæ prævalere, et potentem devorare infirmum, optime sibi consultum fore credebant, si sibi regem præficerent, cui camelum et ovem darent, et qvi potentem spoliaret, injustumqve repelleret. Porro persvasi, fore, ut, si regem ex aliqva suarum tribuum eligerent, aliæ tribus, ad qvas creatus rex non pertinebat, eum detrectarent, bellaqve non desinerent, Haretso conditionem assentiebantur. Harets itaqve iis præfectus, cum reliqviis eorum convenit, rebusqve eorum instauratis, incursionibus in Lachmitas Ghassanidicos, reges Syriæ[59]), eos occupavit. Harets erat rex magnus, animoqve elato præditus, Akel elmorar inde dictus, qvod Zejad, filius Habulæ, unus regum Syriæ, excursione facta in Haretsi terram, dum ipse cum copiis suis absens erat in Bahrein, prædas et captivos, inter qvos Hend, filia Dsalemi, uxor Haretsi, abduceret. Qva de re qvum Harets certior factus erat, exercitum hostilem exploraturi, et de eo Haretsum edocturi, egrediebantur Sadus, filius Senani, et Chalî, filius Vahabi. Exercitum filii Habulah nocte offenderunt. Ille tutum ab insectatione hostis se credens, rapinam divisit, qvartam partem, duci tribuendam, ipse sumsit, et, accenso rogo, voce præconis sui proclamavit, cuiqve, fascem ligni afferenti, ollam dactylorum plenam donatum iri. Uterqve speculator suum fascem ligni sumsit, et apud rogum projecit, dactylosqve suos qvisqve accepit. Deinde vero Chali abiit his verbis: sufficit hoc miraculum! [sc. nos nondum captos esse]. Sadus autem negabat velle antea discedere, qvam Haretso clarum nuntium adferre posset. Ingresso itaqve filio Habulæ in tabernaculum suum, accedebat ad id Sadusus, ita ut, qvid intus loqveretur, audire posset. Accedentibus tabernaculi custodibus, unum eorum, sibi considentem, manu ei injecta, interrogabat (metuens, ne ille peregrinum ipsum putaret et expiscaretur) qvis esset. Nomen suum edebat. Inter hæc filius Habulæ ad Hend, uxorem Haretsi, accedens, eam osculabatur, et cum ea jocabatur, simul interrogans: qvid putas, Haretsum facturum? Non puto, respondebat, sed certo scio, eum te insectari non antea missurum, qvam arces rubras (Syriam intelligebat) viderit. Videor mihi eum videre stipatum manu eqvitum Scheibaniticorum, eos ad pugnam instigantem, et ab iis instigatum; vehementer enim rabiosus et efferatus est, ac si esset camelus, plantas amaras comedens. Hinc dicebatur Akel elmorar, s. plantas amaras comedens. (Almorar planta est, in qva est amaritudo, ita ut, eam depascentibus camelis, labia eorum inde corrugentur). Alii vero dicunt, Sadusum audivisse, eam, Hend scilicet, filio Habulæ, qvi de amore ejus in Haretsum interrogaverat, respondere: haud majore odio ullum unqvam hominem prosecutus sum,

---

59) Prave addit auctor: Ghassanidicos, reges Syriæ. Dixisset: Lachmitas, reges Hiræ. Becritæ tanto successu contra reges Hiræ bellabant, ut Harets, nepos et successor Hogri, qvadraginta circiter annis post bellum Basus finitum, regno Hirensi per aliqvod tempus, regnante in Persia Kobado, potiretur, vide hist. pr. regn. Ar. &c. pag. 11. seq.

qvam eum; neqve vero ullum vidi isto cautiorem, sive dormiat, sive vigilet; id qvod tibi inde probabo: Qvoties dormitum iret, me jubebat sibi apponere scyphum lactis. Qvum aliqvando dormiret, me præsente, adrepebat magnus serpens nigricans ad scyphum, unde qvum biberat, in eum salivam suam emittebat. Ego qvidem sperabam, fore, ut expergefactus et e scypho bibens periret, et ita non amplius mihi molestus esset; verum, qvum experrectus vas a me poposcerat, idqve ei porrexeram, ille, naribus admotis, id abjiciebat, ita ut lac effunderetur. His auditis, Sadus exspectabat, donec dormirent regis satellites. Tum tota illa nocte ibat, donec ad Haretsum mane veniret. Ad eum ingressus canebat:

Adducunt tibi falsorum rumorum sparsores obstupefacti conjecturam opinionis; ego vero tibi adduco certam scientiam.

Deinde audita narrabat. Interea Harets loco sedens, ubi multæ nascebantur plantæ almorar, cum iis inter audiendum ludebat, et aliqvot inscius præ ira et indignatione ori inserebat et mandebat; finita autem narratione, amarum plantæ saporem sentiebat. Hinc appellabatur Akel almorar. Deinde filium Habulæ assecutus devincebat. Vailidis, postqvam res eorum composuerat, donec obiret, imperabat. E carminibus ejus sunt hæc:

Multas curas resecui in vobis mulcendis! multos camelos reliqvi lassatos!
Multos adolescentes coegi noctis primâ vigiliâ proficisci, ita ut seqventi die essent, tanqvam crapulenti.
Qvem feminæ in aliqva re decipere possunt post illustre Hendæ exemplum, is sane insipiens est et facilis ad decipiendum.
Oculo et lingva qvidem dulcis erat, sed spondemus, eam qvævis malefacta patrare posse.
Omnis feminæ amor, si vel tibi appareat ab ea signum amoris, est res mutabilis et evanida.

Satisdationes, [60]) et id qvod Abs et Dzobian intercedebat, tuæ sponsioni innixæ fuerunt.

Origo bellorum inter Absitas et Dzobianitas [61]) hæc erat: Keis, filius Zoheiri, de qvo supra mentio facta est, Meccæ loricam pulchram, Dzat-elfodhul nominatam, emerat, et domum adduxerat; hanc vero loricam patruus ejus Rabî, filius Zejadi, dux Absitarum, qvum conspexerat, vi ei eripuit. Qvapropter Keis una cum suis ab eo demigrans, hospitatum ivit ad Dzobianitas, qvorum dux Haml, filius Bedri, et Hodzeifah, frater Hamli, eum honore affecerunt, et in clientelam receptum bene habuerunt. Keis possedit præter alios nobiles eqvos unum, Dahes nominatum. Hoc nomen ei impositum erat hac de causa: Jarbuitæ cuidam, nomine Kervasch, eqva erat, Golva dicta; alii vero Jarbuitæ, nomine Hauth, eqvus, Dzulêkal nominatus, qvem ille Hauth aliis ad eqvas eorum ineundas nunqvam commodavit. Qvum autem aliqvando pabulatum irent,

60) In MS. Reisk. legitur والعطلات بيبن, et ita qvoqve in Abi'l Validi Ibn Zeiduni risalet seu epistolio, ed. Reiske, Lipsiæ 1755. pag. 2.

61) De hoc bello Dahes et Ghabra vide hist. pr. regn. Ar. &c. pag. 83 seq.

et admissarius a duabus Hauthi filiabus ductus, libidinosam eqvam Golvam prætereuntem odoraretur, penem præ libidine exserebat; qvod qvum juvenis aliqvis ejusdem tribus rideret, duæ puellæ verecundia tactæ, lorum eqvi mittebant. Hic mox eqvæ insiliebat. Paulo post adveniens Hauth, qvi mala indole erat, ex oculo eqvi adspecto divinabat, eum iniisse. Rei mox certior factus convocabat Jarbuitas, qvi se purgabant dicentes, se eqvum ad ineundum non coegisse. Velim, inqvit, semen eqvi mei. Cape id! respondebant. Hauth itaqve eqvam ligabat, manumqve suam, pulvere repletam, impetu facto in vulvam ejus immittebat, et rursus extrahebat. Uterus vero, qvæ accepisset, continebat, et Kervasch inde accipiebat eqvuleum, qvem Dahes ideo vocabat, qvod Hauth in eum impetum fecerat, manumqve inseruerat. Hic Dahes magis magisqve evalescebat, et jam patrem æqvabat. Aliqvo post tempore Keis, filius Zoheiri, Jarbuitas aggressus prædas egit, et captivos duxit. Duo vero juvenes e familia Aznemi, Daheso vecti, eqvites insectantes evaserunt. Tantopere Keiso hic eqvus placebat, ut pro eo captivis libertatem dare promitteret. Jarbuitæ in eam conditionem descendentes, eqvum Keiso tradebant. Deinde duo Dzobianitæ inter se pignus in decem camelas juvencas dabant, utrum Dahes, an aliqva Hodzeifæ, filii Bedri, eqva, Ghabra appellata, currendo antecelleret. (Historici qvidem in hoc gravi casu describendo longas admodum afferunt historias carmina et proverbia continentes, sed ob multitudinem dictorum diversorum et discrepantium, qvibus hæ historiæ scatent, eas compendii feci). Commemorati duo Dzobianitæ Hodzeifam, filium Bedri, edocuerunt, se pignore posito certasse de eqvo ejus Keisiqve. Rem probavit, et effici permisit. Deinde Keiso rem significarunt. Is vero: pignore posito, inqvit, certate cum qvocunqve alio, sinite vero, me filios Bedri, qvippe gentem injustam et tyrannicam, devitare. Responderunt, se cum Hodzeifah sponsionem jam ratam fecisse. Per Deum! inqvit, hæc res super nos mala diffundet. Deinde Hodzeifam adiit Keis: ad te veni, inqvit, ut tibi relinqvam pignus a parte socii mei, [ɔ: ejus, qvi contendit, meum eqvum victorem fore]. Minime! per Deum! nisi ipse pignori ponas decem camelas juvencas, respondit Hodzeifah. Hæc verba Keisum in iram ita concitarunt, ut inter se numerum camelarum pignori ponendarum usqve ad centum augerent, qvas asservandas Tsalabitæ cuidam tradebant. Postqvam stadium decurrendum posuerant centum Ghalvah, in curriculum duos duxerunt eqvos, qvibus insidebant duo juvenes e duabus [Absitarum et Dzobianitarum] familiis. Haml autem, filius Bedri, milites في الدلاء collocaverat, eosqve in aliqvo jugorum collium Koleibi, qva via duos eqvos ingredi oportebat, posuerat, atqve juvenibus, eâ viâ in insidiis positis, præceperat, ut, si Dahes cursu eqvam præverteret, illum repellerent, donec Ghabra eum præcurreret. Dahes eqvam prævertit; qvapropter ii, qvi in jugo collocati erant, prosilientes eum repellebant, donec Ghabra veniret. Keis vero una cum illo viro, cui pignus servandum traditum erat, hac injuria cognita, ab Hodzeifah postulavit, ut pignus positum sibi daretur, qvoniam Dahes præcurrerat. His amborum postulatis cedens, Hodzeifah centum camelas pignori datas Keiso tradidit. Deinde vero aliqvot e gente Hodzeifah verbis suis effecerunt, ut eum poeniteret Keiso pignus dedisse; qvamvis tamen alii eum a male agendo prohiberent, contendentes, Keisum ea re nullatenus ad nobilitatem aliqvam præcurrisse, sed modo unum jumentum aliud præcurrisse. Spreto autem monito, Hodzeifah filium suum Malecum ad Keisum misit, ut pignus reposceret. Hoc meum est, et qvomodo tunc vobis id darem? respondit Keis. Tum vero filius Hodzeifæ existimationem Keisi probris laceravit, eumqve contumeliis asperisqve verbis ita affecit, ut Keis iratus, hastâ

qvæ a latere ipsius erat, arrepta, eum confoderet, ejusqve lumbum contunderet. Utrâqve familia congregata, cæsi piaculum solverunt, qvod Hodzeifah, ut mala averteret, accipiebat. Deinde vero gentiles ejus effecerunt, ut iterum eum poeniteret. Rediit itaqve inter eos malum discordiæ, qvo permotus Keis una cum suis discessit a Dzobianitis, et ad suam gentem remigravit. Ita oriebantur turbæ bellaqve inter duas familias, donec Malec, filius Zoheiri, frater Keisi, occidebatur. Huc usqve Rabî, filius Zejadi, patruus Keisi et Maleci, bello abstinuerat; auditam vero cædem fratruelis sui Maleci ægre ferens, bello se accingebat, dicens:

Qvi gavisus fuerit cæde Maleci, adferat is mulieribus nostris faciem serenam!
Inveniet, mulieres velo nudas eum mane deflere ante nitorem diluculi.[62])
Num post cædem Maleci, filii Zoheiri, sperare possunt mulieres exitus purgationis a menstruis.[63])

In his versibus pulchri sunt sensus. Nihil nocebit, si paucis eos monstremus: Dicere vult, se vindictam sumsisse Maleci, ideoqve foeminas eum deflere. Erat nempe Arabum consvetudo, cæsum non antea deflere, qvam vindicta ejus sumta erat. Qvidam eruditorum contra verba ejus: in aurora ante nitorem radiorum diluculi, objiciunt, auroram non esse nisi post nitorem radiorum diluculi. Ad eam objectionem inter alia hæc respondere possum: aurora hoc loco significat veritatem claram, et est attributum cæsi, qvi instar auroræ est, ac si mulieres eum deflerent ob attributa ejus pulchra et clara(!!).

Deinde continuata serie committebantur proelia, qvorum maximum erat proelium ad Habaat, ut supra commemoratum. Deinceps Keis pertæsus pugnæ, discessit ad avunculos suos, prouti supra, ubi historiam Keisi exposuimus, memoratum est. Rabî diem obiverat; utraqve gens se invicem consumsit et exscidit. Tandem reconciliare pacem studuerunt Harets, filius Aufi, et Harm, filius Senani, Morritæ; ii in se susceperunt satisdare pro camelis, ut lytris, solvendis, atqve concordiam integrare studuerunt. Hinc ait Zoheir, filius Abi Solma, poeta:

Vos duo resarsistis Absitas et Dzobianitas, postqvam invicem se perdiderant, et inter se contuderant aroma Munschimæ.[64])

Maxime tamen hæc reconciliatio Haretso, filio Aufi, debetur [ad verba: erat manus longior Haretso primum et postremum], cujus rei causa in eo erat, qvod Harets aliqvando Charegah, filium Senani, interrogaret, num putaret, ipsum, si nuptias alicujus ambiret, repulsam unqvam accepturum. Se putare, respondit Charegah. A qvo? interrogavit Harets. Ab Auso, filio Haretsah, filii Lami, Thaita, repulsam feres, respondit. Illico Harets puerum suum jussit sternere eqvum; ambo Ausum, filium Haretsah, in terra ejus simul adeqvitarunt, eumqve in atrio domus suæ morantem invenerunt. Ut primum Haretsum conspexerat, eum salvere jussit. Harets salutanti respondit. Qvid negotii habes? rogavit Aus. Procus ad te veni, respondit. Illic, inqvit, non es, [ubi uxorem petere potes]. Harets itaqve abiit, nil ultra cum eo colloqvens. Iratus Aus ingressus est ad uxorem suam Absitidem, qvæ eum interrogabat de advena. Respondit, esse ducem Arabum Harets, filium Aufi. Cur non eum hospitio excepisti? — Stulte se gessit. — Qvomodo? — Procus ad me venit. — Visne filias tuas maritare? — Certe maritabo. — Si duci Ara-

62) Vide infra et Spec. hist. Ar. ed. White, pag. 456 et 533.
63) ɔ: Consvetudinem cum maritis repetitam.
64) qvod Munschim Jasaro servo obtulit; vide infra.

bum eas nuptum dare neges, cuinam dabis? — Jam factum est. — Verum emenda tuum errorem! — Qva ratione? — Eum inseqvendo et reducendo. — Qvomodo eum reducere potero, qvem tam indigne tractavi? [ad verba: et præcessit a me, qvod præcessit ad eum]. — Modo ei dices: "mihi occurristi irato ob aliqvam rem, de qva verbum non proferes; modo mecum abi, et apud me obtinebis, qvid volueris." Ita tecum redibit. [Aus igitur, filius] Haretsah, eqvo adscenso, Haretsum insecutus est. Dum iter nostrum (verba sunt Charegæ) perseqvimur, accidit, ut respiciam, eumqve videam. Ad Harets me converto, sed præ moerore non vult me affari. Advenit, inqvam, Aus, filius Haretsæ. Qvid nobis cum isto negotii? perge modo! respondet. Aus vero, vidéns, nos ad eum non respicere, clamat: o Harets! consiste et opperire me! Consistimus. Harets, accepta ab Auso excusatione, lætus redit. Porro mihi narratum est (pergit Charegah), Ausum, domum suam ingressum, jussisse uxorem vocare natu maximam filiarum suarum, qvam, qvum advenerat, ita adloqvebatur: o filiola! hic est Harets, filius Aufi, unus principum Arabum. Me adiit uxorem petitum. Volui qvidem ei nuptum te dare, qvid vero censes? Noli hoc facere, respondit. Cur non? interrogavit pater. Qvia, inqvit, foemina sum, facie deformis et naturâ paulo infirma, neqve sum ejus patruelis, ita ut, affinitate motus, se mollem et benignum erga me præberet, neqve ullus tuus amicus et cliens est in regione Haretsi, ita ut pudore tui tangeretur. Facile autem accidere potest, ut a me aliqvid forte videat, qvod ei minus placebit; tunc me repudiabit, et ita dedecus mihi efficiet. His auditis, pater: surge! inqvit, benedicat tibi Deus! Deinceps filiam vocavit natu proximam, qvæ fere eadem, ac soror ejus, respondit. Qvapropter filiam natu minimam vocavit, cui eadem proposuit. Fac, qvid tibi libeat, respondit filia. Duæ, inqvit, sorores tuæ, qvibus eundem nuptum obtuli, ab eo abhorruerunt. Ego vero, respondit, facie sum pulchra, manu solers et industria, patre optimo gaudens. Si igitur me repudiet, nunqvam Deus ei reddat aliam uxorem. Deus, inqvit, tibi benedicat! Qvibus dictis, ad nos [verba sunt Charegæ] exiit: nuptum, inqvit, tibi dedi Behnesa, filiam Ausi. Et ego sane accepi, respondit Harets. Re igitur composita, Aus uxorem suam jussit filiam concinnare, ejusqve res parare. Tentorium curavit Haretso erigendum, qvod ab eo habitandum constituit. Qvum ad Haretsum sponsa introducta erat, ille, postqvam paulum in tentorio moratus erat, mox ad me exiit. Num rem tuam jam absolvisti? rogabam. Minime! per Deum! inqvit, qvum enim manum ad eam extenderam: apage! inqvit, num apud patrem meum fratresqve meos—? hoc fieri neqvit. Jubente Haretso, una cum sponsa domum rediimus. Postqvam aliqvantum viæ emensi eramus, præire me jussit. Ipse vero una cum sponsa sua deflexit a via; mox vero redux me assecutus est. Num jam absolvisti? rogabam. Minime! per Deum! inqvit; mihi enim dixit: num me habebis, sicut habetur ancilla, venum circumducta, vel bello capta, vel vi abrepta? Per Deum! antea pecudes jugulabis, oves mactabis, Arabesqve invitabis, atqve ages, qvo modo cum foemina mei simili agitur. Per Deum, respondebam, [verba sunt Charegæ], his verbis intellectum prodere mihi videtur, et sane spero, fore, ut uxor egregia evadat. Iter perseqvebamur, donec terram nostram intraremus. Harets, postqvam camelos ovesqve mactandas adduxerat, ad uxorem suam introivit. Egressum interrogavi, num absolvisset absolvenda? Minime, respondit. — Cur non? — Qvum ad eam intraveram, dulcia sperans, eiqve narraveram de pecoribus adductis et convivio destinatis, qvæ videbat, mihi respondit: meministi de nobilitate, qvam tamen in te non video. Qvomodo? respondi. Num tibi, inqvit, consvescere cum foe-

mina vacat, qvo tempore Arabes (intellexit Absitas et Dzobianitas) invicem se occidunt. — Dic mihi igitur, qvid velis, me facturum! — Egredere ad has gentes, et pacem inter eas compone; his factis, qvum ad tuos redieris, optato non excideris. Hæc uxoris tuæ verba, respondi (sc. Charegah) intellectum et mentem produnt; vera loqvuta est: nobiscum igitur egredere. Qvum ad belligerantes perveneramus, inter eos commeabamus, turbas componendi causa. Reconciliabatur inter eos pax ea lege, ut computatis utrinqve cæsis, piacula pro residuis solverentur. Hæc piacula, nempe tres mille camelos, solvenda suscipiebamus.

Harets vixit usqve ad tempora prophetæ, ad qvem venit, et Islamismum professus est. Propheta cum eo et sub ejus tutela misit Ansaritam, ejus gentem ad Islamismum invitaturum; ille vero Ansarita a Tsalabita qvodam occidebatur, qva de re certior factus propheta Hassanum jussit satyrâ Haretsum perstringere. Hassan cecinit:

O Harets! qvis inter vos perfide agit in fide clienti suo promissa? Sane Muhammed non perfide agit.

Fides Morritæ, ubicunqve eum offenderis, est, ut vas vitreum, cujus fissura non redintegrari potest.

Harets, hunc versum dolenter ferens, ad prophetam, se excusandi causa, legatum misit et cum eo, ut piaculum viri occisi, septuaginta camelos, qvos propheta accepit. Post hæc obiit Harets. E poesi ejus sunt hi duo versus, qvi poetæ, si vel nil præter eos composuisset, sufficerent:

Qvanta beneficia affero! gratia pro iis mihi debita apud me est, certe enim is, qvi me rogavit beneficium, avolavit; et qvanta affero dona!

Qvum venerit, currens ad mansionem meam, eumqve adjuvem, nonne bene de me opinatus est, anteqvam me viderat?

Techna Elkamæ et Amero ab Harmo structa, donec illi duo acqvieverunt, erat e tuo consilio.

Ille erat Harm, filius Kothbæ, filii Sejari, Fazarita[65]), unus Arabum judicum, qvi inter duces decernebat, et cujus sententia non refutabâtur, qvum alium de honore coram eo disceptantium alio præstantiorem judicaret. Almonafarah significat litem, qvæ inter duos viros de nobilitate et præstantia agitur. Dicitur (in tert. conj.) nafaraho, qvum in jus eum vocet, et nafaraho (in prima conjug.), qvum eum vincat. Elkamah est Elkamah, filius Alatsæ, filii Gaferi, Dsâdsâita, et Amer est Amer, filius Thofeili, filii Maleci.[66]) Uterqve erat inter Seidos s. duces gentis suæ, eqves et poeta. Aliqvid de iis postbac narrabo. Causam vero litis eorum de præstantia exponit Abu Obeidah his verbis: Primum, qvod litem movit inter Elkamah, filium Alatsah, et Amerum, filium Thofeili, in eo erat, qvod Amer aliqvando Elkamah sedentem mingendi causa videns, diceret, se nunqvam antea vidisse virilia foediora. Hæc tamen, respondit Elkamah, non stant erga suas vicinas, neqve captant nurus suas. (His obliqve dictis Amerum designabat). Amer respondit: qvomodo vero cum nobilibus admissariis te comparare audes? per Deum! certe eqvus patris mei, Hejah (vita) vocatus potior erat mas, qvam pater tuus, et camelus admissarius pa-

65) Ergo Dzobijanita, et Keisita, vide Tab. gen. VI. in mon. ant. hist. Ar. pag. 106.
66) Vide hist. pr. regn. Ar. & c.pag. 90, 96, 110.

tris mei, algharib (peregrinus) appellatus, tuo majus habebat veretrum. Atqve, respondit Elkamah, qvod ad eqvum vestrum attinet, est res commodata, et qvod ad camelum vestrum admissarium, est res relicta. (Gens Ameri nempe hunc admissarium mutuaverant, ut, si qvis peteret, eum ad camelas ineundas commodarent, sed deinde eo potiebantur). Si vero velis, de honore coram judice tecum disceptabo. Velle respondebat Amer. Ego, per Deum! continuabat Elkamah, vir sum probus, tu vero improbus. Ego promissis sto, tu perfidus es. Qva in re itaqve contra me gloriaberis? o Amer.! Per Deum! respondebat Amer, ego plus, qvam tu, descendo in deserta: plures jugulo juvencas camelas, plus sphæram ico. Deinde uterqve litigator centum constituebat camelos, a victore judici donandos. Tunc qvidem Elkamah una cum suis Chaleditis, Amer vero cum suis Malecitis domo proficiscebatur. Hic tamen antea patruum suum collusorem cuspidum hastarum adibat, auxilium ab eo petens. O mi fratruelis! inqvit, convitiis me proscinde! Te, patruum meum, respondit Amer, filius Thofeili, maledictis non proscindam. Accipe igitur, inqvit, soleam meam, in qva qvadragesies qvartam spolii partem accepi, et auxilium ab ea implora in disceptatione tua! Deinceps Elkamah et Amer litem suam adduxerunt in judicium Abi Sofian, filii Harbi, neqve vero ullam sententiam pronuntiare voluit, veritus, ne incommoda iis tribuiqve eorum inde nascerentur 67). Qvapropter abiere ad Harmum, filium Kothbæ, qvi inter eos se disceptare velle ea lege promittebat, ut, siqvidem iis minus confideret, sibi prædes darent, ita ut certum habere posset, eos judicio pronuntiato acqviescere velle. Deinde eos jussit abire, eodemqve die proximi anni redire. Tempore igitur præfinito ad Harmum redierunt: Elkamah qvidem cum Ahvadsitis, secum ducentibus tabernacula, camelos mactandos ollasqve, ut in qvavis mansione mactarent, incolisqve cibum præberent: Amer vero cum Malecitis, tantummodo armis [neqve vero eduliis] instructis. Hinc aliqvis Ghanida: O Amer! inqvit, qvid patrasti? Malecitas eduxisti, contendendi causa de honore cum Ahvadsitis, qvi secum tabernacula et camelos mactandos ducunt; tu vero nil habes, qvod edendum hominibus præbere potes. Qvam male et deformiter egisti! His verbis admonitus Amer duos suorum patruelium rogabat, ut, qvicqvid ollarum, camelorum et tabernaculorum Elkamah secum duceret, numerarent. Hoc facto, idem Ghanida: o Amer! inqvit, certe est contentio de multitudine eduliorum vobis ad homines cibandos sufficiente; hinc vobis prospicite [ad verba: proficiscimini cum &c.] eadem edulia et supellectilem viatoriam, ac ii sibi prospexerunt [ad verba: qvacum ii profecti sunt]. Ghanidæ obtemperabant. Qvum ad Harmum venerant, et apud eum aliqvot dies commorati erant, Amerum, clam Elkamah ad se arcessitum, his verbis alloqvebatur: o Amer! putabam, te prudentem et bonum virum esse, neqve te per hos dies detinui, nisi ut sponte a socio tuo abire posses. Visne de gloria contendere cum viro tam nobili, ut tu tuaqve gens non nisi de ejus majoribus gloriemini? Qvid est, in qvo ei præstas? Per Deum, et propinqvitatem nostram, respondebat Amer, te obtestor, ut me præstantiorem non judices Elkamam; qvod si feceris, per Deum! posthac non felix ero. Has meas antias reseca, et pro arbitrio opibus meis utere! Si autem nullo modo aliter agere possis, saltem me Elkamæ parem et similem judica! His dictis, Harm, nunc qvidem abi, inqvit, videbo, qvomodo me judicare oporteat. Dimisso itaqve Amero, qvi non dubitabat, qvin Elkamah victor pronuntiaretur, Harm

67) Ad verba: et hoc aversatus est ob statum eorum et ob statum tribus eorum.

clam Amero Elkamam arcessitum ita alloqvebatur: O Elkamah! per Deum! certe de te bene opinabar; visne de gloria contendere cum viro, qvi stirpe tuus est patruelis et eodem atavo ortus est, atqve te opulentior, et in incursione laudabilior? Qvid igitur est, in qvo ei præstas? Per Deum! respondebat Elkamah, te obtestor, ut ei victoriam non adjudices. Idem ei dedit responsum, ac Amero. Qvum Elkamah abierat, Harm filiis suis ad se vocatis hæc præcepit: die crastino inter hos duos viros sententiam pronuntio, qvod qvum fecerim, aliqvot vestrum decem cogent camelos, eosqve pro Elkamah mactabunt; alii vestrum totidem pro Amero mactabunt; carnem deinde dispergite inter homines, ne fiat inter eos conglobatio. Altero mane qvum Harm judex duoqve litigatores sedes suas occupaverant, surrexit Lebid et dixit: *o Harm! origine fili duorum nobilissimorum! certe mirabili causæ dijudicandæ præfectus es. Judica, sed bene dirige sententiam ejus, qvi bene directus est.* Surrexit dein Harm, et dixit: o filii Gaferi! vos ambo mihi litem vestram dirimendam delegastis: Per Deum! estis, ut duo genua cameli candidi [fusci], qvæ simul in terram procumbunt. Qvisqve vestrum virtutes habet, qvibus alter caret, et qvisqve vestrum dux nobilis est. Illico filii Harmi, camelos mactandos aggressi, mactarunt, et ad homines carnem distribuerunt. Noluit Harm alterum alteri præferre, siqvidem patrueles erant, et inde orta fuisset inimicitia inter utramqve familiam. Nunc vero contenti abiere. Nonnulli dicunt, Harmum iis dixisse: estis, ut duæ acies gladii. Aâscha jactat, se ab iis arbitrum electum, Amero victoriam de Elkamah adjudicasse; qva de re exstant ab Aâscha poemata, qvorum unum ab his verbis incipit: *O Elkamah! cum Amero comparari neqvis.*

Elkamah Moslemus obiit. Bis [Medinam] venit: primum ad prophetam, qvum sacra Islamismi amplectebatur, deinde ad Omarum, filium Chatthabi, qvocum ei faceta contingebat historia. Erat nempe Elkamah amicus Chaledo; nocte aliqva Omaro occurrit, cui dixit: o Chaled! (putabat Chaledum esse, cui Omar valde similis erat) num munere te moverunt? (Omar nempe Chaledum ducatu exercitus Syriæ moverat, qvippe ei iratus ob cædem Maleci, filii Nuveiræ, ut supra commemoratum). Certe, respondit Omar. Per Deum! inqvit, merus est livor et invidia, qva te perseqvuntur. — Qvid itaqve habes remedii contra hanc rem? — Deus avertat! nostrum est Omaro obedire; neqve turbas contra eum moveamus, neqve ei repugnemus. Tum discessere. Proximo mane, qvum Elkamah ad Omarum intraverat, hic ei dixit: age! o Elkamah! heri cum Chaledo locutus es? qvid dixisti? His verbis stupens Elkamah Chaledo, qvi tunc temporis etiam apud Omarum erat: tune, inqvit, Omaro sermonem meum prodidisti? Per Deum! respondit Chaled, heri tibi non occurri, et nunc primum te video. Hinc Elkamah intellexit et cognovit, Omarum, non Chaledum fuisse, cui occurrerat. O princeps fidelium! inqvit, nil audivisti præter bonum. Annuit Omar, eumqve deinceps Hauranitidi præfecit; qvo ad eum proficiscebatur Hothejah poeta, ejus laudes celebrandi causa, verum Elkamah jam ante adventum Hothejæ exspiraverat. Ex panegyrico ejus sunt hæc:

Per vitam meam! sane optimus vir e gente Gáferi est in Hauran! incedo ad eum; decipulæ eum suspenderunt.

Si tibi salvo 68) *occurrero, non est inter me et inter divitias, nisi noctes paucæ* [ɔ: brevi me ditabit].

---

68) Verti qvoqve potest: salvus, vide S. de Sacy Gram. T. II, p. 63.

Qvum advenerat, comperit, Elkamam ipsi portionem opum suarum, anteqvam decesserat, legasse.

Amer, filius Thofeili, vir erat fortis, celeber, poeta, dux. Abu Obeidah ait, Ocadsenses in eo convenisse, qvod eqvites Arabum tres essent: eqves Tamimitarum Rabiah, filius Haretsi, filii Schehabi, filii Dsejjad alforsan (venatoris eqvitum): eqves Rabiitarum Bostham, filius Keisi, 69) atqve eqves Keisitarum Amer, filius Thofeili. Hic una cum Arbedo, filio Keisi, 70) et caterva Ameritarum ad legatum Dei advenit, eumqve interrogavit: si Islamismum amplexus fuero, qvid commodi mihi inde redundabit? Eadem commoda, respondit propheta, eademqve onera tibi erunt, ac ceteris Moslemis. Non amplectar, inqvit Amer, nisi imperium secundum a te mihi mandare velis. — Imperium tuæ genti non competit. — Saltem me nomadibus præficies Arabibus, ipse vero oppidanis præeris. — Minime! respondit propheta, verum tibi habenas eqvorum efficiam [ɔ: turmas eqvitum tibi comparabo]. — Nisi 71) ullæ mihi essent! His dictis addidit: o Muhammed: per Deum! sane eas [habenas] contra te implebo eqvis virisqve, et ad unamqvamqve palmam [Medinensem] eqvum alligabo. Qvum terga verterat, legatus Dei ita orabat: o Deus! præsta me tutum ab Amero et Arbedo! in rectam viam duc Ameritas! fac, ut Islamismus Amero carere possit! Postqvam Amer cum suis partem itineris emensus erat, immisit in eum Deus O. M. pestem in collo ejus, ita ut lingva ejus in ore promineret, sicut uber ovis. Qvapropter deflexit in tentorium mulieris Saluliticæ, 72) qvo qvum pervenerat, dixit: pestilens bubo, sicut bubo cameli, et mors in tentorio feminæ Saluliticæ! Deinde exspirabat. Itineris socii eum humabant, et circa sepulchrum ejus lapides ad milliare qvadratum erigebant, idqve spatium vetitum et inaccessum [camelis pascentibus] reddebant. Fertur, qvendam filiorum ejus, hoc spatio posthac aliqvando conspecto, dixisse: locum patri meo nimis arctastis. In Arbedum Deus immisit fulmen, qvod eum occidit. Qva de re canit frater ejus:

Timebam qvidem Arbedo, ne fato fungeretur, neqve vero timebam occasum matutinum sideris Arcturi et leonis [et inde seqventem tempestatem].

Amer, filius Thofeili, versus præstantes et excellentes composuit, inter qvos poema ejus in literam R desinens, in qvo commemorat jacturam oculi sui, qvem perfidus qvidam socius hastâ eruerat 73), et deinde aufugerat:

Jam sciverunt nobiles Havazenitarum, me esse eqvitem, qvi vexillum Gaferitarum defendit.

Certe scivit eqvus capistratus, me eum iterum reducere 74) *contra turbam eorum; regressus est leo Moschher* 75).

Nonne vides hastas eorum in me directas; tu es eqvus stirpe nobilis; ideo patiens esto [hastarum]!

Per vitam meam! et vita mea non mihi vilis habita est: Sane deturpavit partem genæ eminentiorem ictus Moschheri.

---

69) De eo vide hist. pr. regn. Ar. &c. pag. 103. seq.

70) Arbed frater uterinus erat poetæ Lebid, filii Rabiah. Rabiah patruus erat Ameri, filii Thofeili.

71) Forsan melius: ac si, qvasi nullæ mihi essent. Qvæ Golius et S. de Sacy in gram. Tom. I, pag. 396 habent, in hunc sensum non qvadrare mihi videntur.

72) Posteri Morræ, filii Dsadsaæ, a matre eorum Salul vocati Salulitæ, a ceteris Arabibus contemnebantur. Vide Eichhornii mon. ant. Ar. Tab. gen. VII, et pag. 112.

73) Vide hist. pr. regn. Ar. ante Islam. p. 121.

74) Adscripsit Reiske: εφορμω αυτον.

75) Nuveirius habet Mosher, vide l. l. p. 121.

Miser est juvenis, si unoculus, sterilis, pusillanimis factus sit; qvid enim prodest ille in conventu virorum!

Item hoc:

Qvot, prodentes adversus nos odium, optent, ut, qvum iis occurramus, celassent, qvod excogitaverint.

Cibantes et hospitales admodum sumus in angustia vitæ, hastâ multum confodientes in proelio. Sinistræ nostræ manus seqvuntur, et dextræ incipiunt.

Item: *Socium sincerum prehendi brachio ejus, eiqve dixi: adjuva fratrem tuum! et adjuvit socius,*

Solitus cuspide gladii verberare hostes, qvi socios ejus perseqvebantur; qvum liberi vitiosorum pulverem excitassent, mane proficiscebatur [ad pulverem dispergendum].

Optabat reverti cum ocreis Honeini.

Dissentiunt de hocce Honeino: nonnulli dicunt, virum fuisse, qvi perhibebat, se esse e posteris Asadi, filii Haschemi, filii Abd Menafi. Venit ad Abdelmothalleb, [avum Muhammedis], ocreis rubris indutus. O Abu Amru! inqvit, ego sum filius Asadi, filii Haschemi. Minime! respondit Abdelmothalleb, vestes Haschemi qvidem video, sed indoles ejus tibi deest; proinde revertere! Rediit. Inde natum de eo proverbium, qvod dicitur de eo, qvi redit, non obtinens, qvid voluisset. Alii dicunt, Honeinum fuisse ocrearium Hirensem, cui Arabs qvidam campestris ocrearum par licitus erat, nil vero ab eo emerat; hinc ei Honein iratus, egrediebatur, et in via ejus unam ocrearum arbori suspendebat, alteram, parum progressus, projiciebat. Qvo facto, se abscondebat. Mox venit Arabs, et qvum unam ocrearum in arbore suspensam viderat, ait: qvam refert ocream Honeini! si alia simul adesset, hanc arripere appetivissem. Ulterius vero progressus, qvum aliam ocream projectam viderat, camelo descendit, eoqve ligato, ocream sustulit; deinde, priorem occupaturus, retro abivit. Interea Honein e latebra prorepens camelum ejus surripiebat. Arabs vero ad suos redibat cum ocreis Honeini. Dicitur qvoqve, Honeinum Judæum fuisse, qvi in mulierem qvandam Moslemicam asinum tolutim incedentem ita propellebat, ut eam prosterneret. Re aperta et ad Omarum literis datis delata, hic dixisse fertur: haud tali lege cum iis pacem fecimus; is Judæus sane funem clientelæ de collo suo detraxit; proinde in crucem eum vivum agite! Qvum ligno suo affixus erat, advenit uxor ejus, ocreasqve, qvibus observaverat, eum indutum esse, de pedibus detraxit, his verbis: nunc morieris, qvid igitur facies ocreis? Hinc dixere homines: illa domum se convertit cum ocreis Honeini.

Gratior est fama Moaidensis, qvam ejus adspectus.

Hoc est proverbium, qvod de eo dicitur, cujus fama melior est, qvam ejus adspectus. Primus id dixit Noman de Schokkah, filio Dhemræ: qva de re longa exstat historia in hanc sententiam: Schokkah excurrit populandi causa pecora Nomani. Hic eum qvidem qvæsivit, sed non antea prævaluit, qvam tutelam ei præstiterat. Placebant Nomano, qvæ de ejus. fortitudine et audacia audiret. Eo autem conspecto, faciem ejus deformem despexit. Sane, inqvit, audire de Moaidensi melius est, qvam eum videre. Abnuas maledictionem! respondit, viri non sunt

cameli mactandi; vita autem viri est in duobus ejus minoribus instrumentis: corde et lingva. Hæc verba Nomano placuerunt; eum usqve ad fata inter familiares proceresqve habuit. Moaid nomen est tribus, de qva ait poeta:

Scies, qvid decernat Moaid et Moradh.

Bakel tibi comparatus eloqvens haberi debet.

Ille est Bakel, filius Omari, filii Tsalabæ, Ejadita, de qvo fertur proverbium: *blæsior et ore gravior, qvam Bakel.* Ait Abu Obeidah, illum eo usqve blæsum fuisse, ut, qvum aliqvando undecim Drachmis emerat dorcadem, quam secum ducebat, aliqvis ei occurreret, qvi interrogabat, qvanti eam emisset. Bakel manus aperuit, omnes digitos discrevit, lingvamqve exseruit; indicare nempe voluit, se undecim drachmis eam emisse. Interea autem dorcas aufugit. Multæ huc pertinentes ejusdemqve argumenti historiæ de eo notæ sunt. Multum ante Muhammedem vixit.

Habnakah tecum collatus, laudem sapientis meretur.

Ille est Jezid, filius Tservani, e posteris Keisi, filii Tsalabæ, Habnakah cognominatus, et metonymice vocatus Abu-lvadaat s. pater concharum, qvia conchis, transmisso filo, serie conjunctis collum suum circumdabat; qvo amuleto cavere studebat, ne periret. Ante Muhammedem vixit. Fertur de eo proverbium, in qvo ut exemplum hominis stulti sistitur. Præter alia stultitiæ ejus documenta de eo hæc narrantur: Aliqvando oves et camelos pascens, pingves pascendos eligebat, macilentos pascuis removebat, dicens: non reparabo, qvid Deus corruptum esse voluerit: Rasebitæ 76) et et Tofavahitæ inter se altercati de viro aliqvo, qvem sibi utraqve gens vindicabat, eum arbitrum creabant. Habnakah ita cognoscebat: projicite, inqvit, eum in mare; si rasaba s. ima petiverit, Rasibita est: sin vero thafa s. innataverit, Tofavahita est: Qvum aliqvando una cum aliis locustas advenientes videret: ne vos, inqvit, terreat, qvid videatis, pleræqve enim istarum mortuæ sunt: Aliqvando frater ejus qvatuor capreis vaccam ei vendidit, unde natum proverbium de eo, qvi justo majore pretio aliqvid emit (?). Habnakah abiit cum vacca; in itinere leporem sub arbore delitentem conspexit, qvi ei tantum metum injecit, ut ad currendum incitaret vaccam, et clamaret: Deus me liberet, et vaccam liberet a magnoculo! Traditum est, Malecum, filium Mesmâi, de Rabiitis 77) gloriantem, eosqve Modharitis præferentem, Ahnafo, filio Keisi, jocô dixisse; stultissimus inter Becro-Vailitas celebrior est, qvam dux Tamimitarum (intellexit per stultissimum Habnakah, Keisitam). Hircus Tamimitarum, respondit Ahnaf, celebrior est, qvam dux Becro-Vailitarum. Innuit hircum Homanitarum (?), qvi magnum ovium numerum inibat, et, ut opinabantur, postqvam sectæ erant venæ ejus jugulares, asinum inibat.

Accepisses a puellis proemium, qvod olim Jasar.

Jasar, servus niger erat, brevis ac deformis. Arabes ante Muhammedem Jasar alcavaeb s. puellarum sororiantibus mammis præditarum eum vocabant. Puellæ nempe, eo conspecto, ob

76) Vide mon. ant. hist. Ar. Tab. gen. XI.

77) Rabiah erat filius Nezari; vide mon. hist. ant. Ar. Tab. gen. II, VIII et IX. Modhar qvoqve erat filius Nezari. De ejus posteris vide l. l. Tab. gen. III usqve ad VIII.

ejus deformitatem ei arridebant; is vero putabat, eas', amore et admiratione ductas, arridere. Tandem qvoqve mulier heri ejus, eum intuita, risit; qvapropter Jasar, opinans, eam præ amore et admiratione ipsius risisse, cuidam suo socio nigro, qvi una cum ipso apud camelos erat: per Deum! inqvit, hera mea amorem erga me concepit, eamqve hac nocte visitabo; proinde tu noli camelos relinqvere! O Jasar! respondit socius, bibe lac camelarum decem menses fetarum, et comede carnem pulli camelini lactentis! id satis habeto! qvid vero tibi cum filiabus hominum ingenuorum? Mi socie! respondit Jasar, ego sum Jasar puellarum; non me vidit puella ingenua, nisi amore mei flagraverit. Advesperascente die, socium suum rogabat, ut camelos custodiret, donec ipse rediret. Ille qvidem a consilio eum avertere studuit, sed Jasar in eo permansit: Intravit ad mulierem domini sui, cum ea consvescendi consilio. Femina ei dixit: locum tuum occupa![78] utiqve feminis ingenuis est aroma: tibi id olfaciendum dabo. Qvibus dictis, attulit aroma et novaculam acutam: illud olfaciendum ei præbuit; hac vero nasum ejus amputavit. (Alii dicunt, eam suffimentnm sub eo posuisse, ejusqve genitalia resecuisse). Clamavit Jasar. Patienter, respondit, fer suffimenta nobilium! Aufugiens ad socium suum cruentatus venit. De eo fertur proverbium. Dicitur, nomen mulieris fuisse Munschim, eamqve esse, de qva in proverbio ajunt: *aroma Munschimæ.*

Non deceptus sum, neqve dubito, qvin fias advena Baragemitarum.

Ille est Omar, filius Dsacheri, Tamimita. Baragemitæ[79] qvinqve erant e filiis Handsalæ. Arabes proverbium habent de advena Baragemitarum:[80] Nimirum Amru ben Hend, vindictam a Tamimitis sumturus, nonaginta novem viros ex ea gente combussit; sed juraverat, se centum ex iis comburere velle. Dum hunc unum deficientem qværebat, eum locum prætervehebatur vir qvidam Baragemita, Omar appellatus, ex itinere veniens, qvi, qvum odorem carnis tostæ olfaceret, indeqve conjiceret, regem cibum sumere, a via deflectens, regem adibat; verum interrogatus, qvis esset, postqvam responderat, se Baragemitam esse, in ignem injiciebatur; Unde in proverbio dicitur: *miser advena Baragemitarum.* Hinc amorem cibi opprobrio afficiunt Tamimitæ. Historia Amrui ben Hend posthac, ubi mentio fit nominis Moharrek ei impositi, exponetur.

Aut redeas cum epistola Motalammesi.[81]

Ille est Garir, filius Abd-elmesihi, Dhobejita[82], poeta clarus et insignis è poetis ante Islamismum florentibus. Ille ejusqve e sorore nepos Tharafah, filius Abdi, ad Amru ben Hend, unum regum Hiræ, adveniebant, et apud eum hospitati inter proceres ejus, ad honorem compotorum evehebantur. Dum vero Tharafah aliqvando cum rege potabat, manu tenens poculum aureum, vino plenum, ex alto prospiciebat soror Amrui, eamqve (in poculo, ut fertur) videbat Tharafah. Hinc cecinit:

Annon mecum coibit dorcas, cujus duæ inaures fulgent! si rex haud adsideret, me certe sineret os osculari.

---

78) Vide Sacy Gram. T. I, p. 369.
79) Vide mon. hist. ant. Ar. Tab. gen. V et pag. 94.
80) Cfr. hist. pr. regn. Ar. &c. p. 22.
81) Cfr. Tharaphæ Moallakah in prol. pag. LII. seq.
82) Vide mon. hist. ant. Ar. Tab. gen. VIII. et pag. 120.

Amru hæc verba, qvæ audiverat, improbavit, et corde recondidit. Deinde venatum exiit, comitante Abd Amru, filio Baschri, qvem Tharafah satyra perstrinxerat. Amru, qvum asinum fixerat, jussit Abd Amru eqvo descendere, eumqve mactare. Hic qvidem asinum aggrediebatur, sed lassus erat, et segniter rem tractabat. Hinc Amru: bene, inqvit, te cognovit Tharafah, qvum de te cecinit:

Nil boni ei inest præter ejus opes, nam pleuritide laborat, qvum surrexerit compressis lateribus præditus.

Acriora tamen ea sunt verba, respondebat Abd Amru, qvibus te perstrinxit. Qvid dixit? interrogabat rex. Abd Amru hæc recitabat:

Utinam nobis loco regis Amrui essent massæ lanæ, qvæ circa sellam nostram camelinam gyrum agerent.

Amru his verbis magis adhuc in Tharafah concitatus, eum occidere moliebatur; metuens autem, ne Motalammes ipsum ideo satyrâ perstringeret, atqve Becro-Vailitæ, si hos duos viros palam occidisset, contra ipsum congregarentur, eos occulte tollere constituebat. Qvapropter aliqvando iis dixit, se putare, eos desiderio suorum flagrare. Annuentibus duas epistolas ad Bahrein scripsit, qvas iis tradidit his verbis: scripsi vobis de dono, qvod accipietis a præfecto Bahrein. Abierunt igitur, epistolas manibus tenentes. In itinere occurrerunt seni ad reqvisita naturæ, natibus denudatis, in via sedenti, et simul comedenti, pediculisqve se liberanti. Unus duorum viatorum alteri dixit: num unqvam plus mirandum, qvam hunc senem, vidisti? Qvibus auditis, senex: qvid in me, inqvit, mirandum vides? impura ejicio, bona immitto, hostem occido, sed plus mirandus est ille, qvi inscius mortem suam in manu portat. Motalammes, his senis verbis motus, timorem sui concepit, literæqve suspicionem ejus moverunt; qvapropter adolescentem Hirensem, sibi occurrentem, interrogavit, an legere sciret. Annuens juvenis, sigillo soluto, hæc legit: Motalammeso, qvum ad te venerit, detrunca manus pedesqve, eumqve vivum cruci fige! His auditis, Motalammes ad Tharafam se convertit, eum admoniturus: per Deum! inqvit, procul dubio in tua epistola idem de te præcepit; eam igitur trade huic adolescenti, ut legat. Minime! respondit, metu gentis meæ absterritus talia patrare certe non audet; Audax ideo contra eos ingredior, regi enim potestate prævaleo. Motalammes autem suam epistolam in fluvium Hiræ dejecit, his verbis utens:

Contentus eram eâ epistolâ; qvum vero ejus atramentum vidi, oberrat cum eo undâ in omni rivo.

Deinde sic Tharafam affatus est:

O Thoreifah, fili Abdi! sane tu peris! num in cavædio regis heroici, instar dactylorum, maceraberis?

Abjice epistolam! non curo te, sed gnarus viæ dux tibi de dono timet.

Nihilominus Tharafah epistolam suam adduxit præfecto Bahrein, qvi eum occidit. Hinc Motalammes cecinit:

Immorigerus mihi fuit, neqve rectam viam contigit; eqvidem exitus ejus, eum errantem fuisse, manifestum reddunt.

Mane portabatur super feretro: ejiciebant e se costæ ejus sangvinem nigricantem cavitatis.

Nisi stragulâ tegat feretrum, super qvod te elevant, qvomodo servabitur, qvo minus sangvine inqvinetur superficies feretri, qvo veheris?

Deinde Syriam assecutus, Amruum satyris perstrinxit. Certior factus, Amruum solitum dicere: vetitum ei est granum Irakæ, ut ne micam qvidem ejus gustet, et utiqve si eum invenero, eum occidam, hæc cecinit:

Dedignatus sum granum Irakæ; tempus id consumsit, et in pago tinea id consumit.

Acqvievi in mea conditione; in vestrâ qvoqve hodie acqviescite! et stultos vos præstate in bello suscipiendô, aut astuti este!

Præstantibus Motalammesi carminibus annumerandum est hoc distichon:

Annon vides, virum pignus esse mortis; prostratus sive esca fit avis (?), sive sepelietur.

Haud vero excipies injuriam formidine mortis tibi subeundæ; eo enim adductus liber es, et cutis tua lævis est (ɔ: lædi neqvis).

Item hoc distichon, qvo parcimoniam describit et laudat:

Conservare opes certe melius est, qvam eas amissas qværere et proficisci in terris absqve viatico.

Prudentia rei familiaris tuendæ eam, si vel curta sit, auget; negligentia autem curæ privatæ vel magnas opes exhaurit.

Item: *Ad omnem populum scala est, per qvam ad eum adscenditur, ad nos autem non est per scalas adscensio.*

Aufugiunt a nobis omnes feræ, et ad nostras feras feræ deserti perveniunt, pastumqve eunt.

Item hæc disticha pulcherrima ex iis, qvæ composita sunt de causis, qvæ canes ad latrandum commovent:

Vestem ejus, qvi ad latrandum canes commovet, ventus aperire studet, ut ex eo decidat, qvamvis sit loro instructus, qvo vestis constricta est.

Viator in nigredine noctis, postqvam exorbitaverat, ululabat, ut canem ad latrandum commoveret, vel dormientes expergefaceret.

Audiens vocem ei ad clamorem ejus respondet; apud adventum largitorum [donantium] *cibatur.*

Parum abest, qvin, qvum hospitem advenientem viderit, eum alloqvatur de amore suo erga eum, qvamvis is barbarus sit.

Qvandoqvidem nos ambo sæpe convenimus, et continuos congressus habuimus, me forte ad te allexit id, qvod filiam Chassi ad servum suum alliciebat, diuturnitas confabulationis, et propinqvitas cervicalis.

Per filiam Chassi intelligit Hend, filiam Chassi, Chadsi, vel Chasfi, Ejaditæ, (ut narravit Scherifus Mortadhi), qvæ multum admodum ante Islamismum vixit, atqve tempora attigit Kalmusi, unius judicum Arabum, qvi, ut dicitur, primus vadsala elvadsilah, et sajjaba essajibah 83).

83) Vide infra Nuveirium.

Hunc Kalmusum, arbitrum electum, adiit nostra Hend, una cum sorore sua Gomâh, ut inter eas causam disceptaret de sermone iis habito; Hend eum laudavit versibus, inter qvos hunc afferre liceat:

Qvum Deus bene facienti fidem ejus retribuat, tibi; o Kalmus! a parte mea generositatem tuam retribuet.

Qvidam relatores opinantur, Hendam tempore Nomani, filii Mondzari, obiisse apud hujus filiam Hend, ad qvod probandum provocant ad dictum Farezdeki:

Fidem servasti, prœ te tulisti generositatem, sicut erga filiam Chassi, Ejaditæ, promissis stetit Hend.

Res autem non ita sese habet; Farezdek enim modo dicere vult, Hendam eam esse, qvæ promissis stetit erga sororem suam Gomâh, filiam Chassi, neqve autem ait, Hendam filiam esse Nomani.

Filia Chassi consvetudinem habuit cum aliqvo suo servo; qvam ob rem culpata, et interrogata, qvid eam ad scortandum impulisset, respondit, se a propinqvitate cervicalis et diuturnitate confabulationis impulsam esse. (Sivad idem est, ac Sirar; dicitur in conj. tertia: savadtoho, qvod idem significat, ac sarartoho. In Hadits est Sivad pars fascini). Aliqvot relatorum historiæ Hendæ adjecerunt, eam cupiditatibus impudicis ideo incensam esse, qvia pater ejus a matrimonio eam prohibuerat. Ei sunt multæ orationes rhythmicæ, pauci vero versus. Solebat, qvæstionibus propositis, cum viris contendere, donec aliqvando vir eam præterveheretur, qvem rogabat, ut qvæstionem sibi proponeret. Proposuit vocem: parum abfuit. Hend respondit: Parum abfuit sponsus, qvin esset princeps: Parum abfuit soleis indutus et pedes iter faciens, qvin esset eqvo vectus: parum abfuit avarus, qvin canis esset. Tum vir abire voluit; verum Hend: vellem, inqvit, tibi qvoqve qvæstiones proponere. Propone igitur! respondit. Proposuit vocem: miratus sum. Miratus sum, inqvit, terram salsuginosam, madorem ejus non desiccari, pastumqve ejus non germinare: miratus sum lapides, parvos nempe lapides non magnos fieri, neqve magnos confici et dissolvi: miratus sum puteum inter femora tua, fossam ejus non impleri, neqve fundum ejus contingi. His verbis erubescens, posthac tales proponere qvæstiones desiit. Inter rhythmicas ejus orationes hæ sunt: Posita ei hac sententia: o niger admissarie! sum tibi amicus, verbis numerosis et rhythmicis hæc epitheta eqvo attribuit: tibi, longis antiis prædito, bene curato, vehementi, procero, potenti, lateribus valido, pulverem currendo excitanti, veloci. Pari modo sententiæ propositæ: o leo! tibi sum amicus, addidit: tibi, ciliis prædito, inopinantem prædam obruenti, furvo, rutilanti, murmuranti. Pari tandem ratione, qvum ei dicebatur: o eure! tibi sum amicus, adjiciebat: qvi, qvum propulerit, fodit, qvum erraverit, decorticat, qvum ejecerit, vulnerat. Interrogata, qvem maximi faceret, respondebat, se maximi eum ducere, qvem opus habebat.

Num frustra qvæsivi inter Arakemitas conjugium inire, ut ideo nuberem inter Ganebitas?

Arakemitæ sunt familia Taghlabitica, et Ganebitæ familia Jemenensis. Hoc enuntiatum e poemate [mox afferendo] Mohalbeli Taghlabitæ, supra commemorati, sumtum est. Mohalhel, qvum longa ei erant bella, ob bellum Basus orta, aufugerat, et hospitatum venerat ad familiam

aliqvam Jemenensem [sc. ad Madzhagitas].[84] Hi filiam ab eo in matrimonium expetebant, sed recusabat. Donum autem sponsalitium, in qvo pelles Ademiticæ erant, ei præbebant, adqve filiam elocandam vi eum adigebant. Hinc canebat:

Nolui[85] *Taghlabitis propter id, qvod ab iis expertus sum, dare sororem benilacramein e familia Goschamidarum.*

Qvia frustra inter Arakemitas maritum qværebat, cogebatur nubere inter Ganebitas, et domum [sponsalitium] *erat ex Adem.*[86]

Per Deum! si vel Moharrek duabus striatis vestibus te indueret —

Moharrek est Amru, filius Mondzari, filii Ma-essamai, qvoqve nomine matris suæ Hendæ, filiæ Haretsi, filii Hogri, Acal-elmorrari, Cenditæ vocatus: Amru ben Hend. Amru etiam appellabatur Modharreth-elhigarah s. πετροπορδος ob vehementiam ejus fortitudinis. Causam, cur Moharrek cognominabatur, fuse enarravit Abulfarag in libro Aghani hanc fuisse: pactus erat Amru aliqvot Thaitarum familiis, ut eas bello petere et spoliare nollet. Deinde, expeditione contra Jemamah suscepta, qvum, destitutus commeatu viæ, redibat, et Thaitas prætervehebatur, ei Zorarah, filius Adasi, Tamimita, unus procerum ejus: abnuas maledictionem! inqvit, ab hac familia aliqvid cape! Væ tibi! respondit Amru, iis mecum foedus est. Fuit qvidem hucusqve iis tecum foedus, respondit Zorarah; neqve desiit, donec mulieres agminaqve camelorum cepisset. Hac de re ait Keis, filius Vagaræ, Thaita:

Video, te, o fili Hendæ! fidem non servare; qvid autem est vir, fidem fallens?

Dejeravi per paludes Minæ et Machebi (In paludibus earum sunt loca soli æqvabilis, compactæqve arenæ):

Qvodsi non emendata fuerit pars ejus, qvod fecistis, [ɔ: si minus aliqvot raptorum camelorum reddideris], *me dabo ossibus, qvæ rodo.*

(Keis ob hunc versum Arik s. rosor vocabatur). Amruo certiori facto de his versibus Zorarah, filius Adasi: Abnuas maledictionem! inqvit, tene minatur? Num patruelis tuus verborum contumelia me perstringit, atqve minatur? interrogabat Amru Rumilah, filium Schâari, Thaitam. Minime! per Deum! respondebat, haud te perstrinxit, verum dixit:

Per Deum! si filius Giofnæ[87] *vicinus et patronus vester esset, vos interitu et vilitate non amiciret.*

Rumilah nempe voluit ex animo Amrui odium [adversus patruelem suum] exturbare; verum Amru respondit: Per Deum! occidam eum. Qvod qvum resciverat rosor [s. Keis, filius Vagaræ], dixit:

Num me minatur? et arena [ɔ: magnum intervallum] *inter me et inter eum est. Dilucida paululum, qvantum mater mea Omamah distet a tua matre Hend!*

Foedus tuum perfide violasti, qvamvis nos ad id ineundum ipse attraxisses; sed vitium naturæ est perfidia in foedere.

---

84) Cfr. hist. pr. regn. Ar. &c. pag. 114. 85) Ad verba: caram, in honore habui.
86) Tertium versum corruptum et incorrecte in utroqve MS. exaratum non intelligo.
87) Proprie per filium Giofnæ intelligitur rex Ghassanidarum Giofnah II Moharrek dictus, unusve ejus successorum, hoc autem loco intelligendum est de Amruo ben Hend.

Ipse adolescens perfidiam omittit, et præcipuus cibus ejus vespertinus constat e sangvine sectionis venæ cameli [haud vero e raptis camelis]. 88).

Amru ben Hend, his Keisi versibus auditis, adversus Thaitas expeditionem suscepit, atqve e posteris Adii, filii Agzemi, captivam duxit familiam Hatemi; qvum vero Hatem ad eum veniebat, captivos ab eo petens, libertatem iis dabat.

Mondzar, filius Ma-essamai, pater Amrui, Zoraræ, filio Adasi, asservandum tradiderat parvum aliqvem suum filium, nomine Malecum 89). Hic Malec aliqvando sese in venando exercendi causa exiit; spe vero frustratus, prædæqve non potitus, aliqvot prætervehebatur camelos viri alicujus e posteris Abdallæ, filii Daremi, nomine Soveid, matrimonio juncti cum filia Zoraræ, qvæ ei septem pueros pepererat; Ex iis camelis Malec, filius Mondzari, pingvem camelam jugulabat, et potiebatur. Tunc temporis dormiebat Soveid; expergefactus vero, baculo prehenso in Malecum incurrebat, eumqve feriebat, donec moreretur. Soveid Meccam aufugiebat. Thaitæ a Zorarah ejusqve fratribus camelos Soveidi, qvi Meccam iverant, (?) 90) poposcerunt, donec iis innotesceret, qvid in fratrem regis patravissent. Tsalabah, filius Amrui, Thaita, cecinit:

Qvis Amruum edocet, virum lapides non creare (?)?

Casibus dierum nil permanet præter lapides.

Occide Zoraram! haud tamen inter homines video fideliorem virum, qvam Zorarah.

Amru ben Hend, certior factus hujus carminis [indeqve colligens, fratrem suum occisum esse], flevit, ejusqve oculi lacrymis exundarunt. Qvod qvum resciverat Zorarah, aufugit. Amru qvidem, eqvo vectus, eum insectatus est, ejus autem non potitus. Proinde uxorem ejus prægnantem prehendit, eamqve interrogavit, maremne in utero gestaret, an foeminam; se nescire, respondit; dein ventrem ejus fidit. Gens Zoraræ huic dixit: per Deum! non occidisti fratrem regis; adi igitur eum, veramqve historiam ei expone! Zorarah regem adiit, qvi ab eo Soveidum poposcit. Respondit, eum aufugisse, nilqve de eo compertum se habere. Mihi itaqve, inqvit rex, tradendi sunt filii ejus. Zorarah septem ejus filios, qvorum mater filia erat Zoraræ, unum post alterum, regi adduxit, qvi eos occidi jussit. Unum eorum sumserunt, eiqve collum percusserunt. Ceteri Zoraræ collo suspensi erant; is vero dixit: *alius alii;* id qvod in proverbium abiit. Occidebantur adolescentes. Deinde Amru ben Hend jurans, se velle ex Handsalidis centum viros urere, eos prehensum exibat, et ante se præmittebat Amruum, filium Tsalabæ, Thaitam, qvi Handsalidas, jam de periculo monitos, reperiebat, atqve ex iis nonaginta octo viros in tractu Bahrein captos incarcerabat. Amru ben Hend eum assecutus, tabernaculo fixo, fissuram in terra iis fodi, jussit, igneınqve in ea accendit. Ardente et flagrante igne, in eum illos injecit, ita ut comburerentur. Advenit forte camelo vectus Baragemita, (sunt Baragemitæ ramus s. pars Handsalidarum), inscius, qvid ad cæsum expiandum pararetur. Prehensus in ignem injectus est. Amru ben Hend qvidem in eodem loco substitit, sed neminem vidit advenientem, qvem combureret. Hinc ei dicebatur: si exceptione in jurejurando uti volueris, pro uno viro deficiente foeminam ex eadem gente comburas; jam enim nonaginta novem viros combussisti, ita ut modo unus numero deficiat. Advocari igitur jussit foeminam aliqvam Handsaliticam, qvam interrogabat, qvænam es-

88) Vir, sorte pressus iniqva, contentus est cameli venæ sangvine, qvem, in intestinum immissum, assat et vesperi comedit. Qvanto magis te regem oportet a rapinis abstinere!

89) Cfr. hist. pr. regn. Ar. &c. pag. 22.

90) Forte: غيرة, piaculum pro camelo a Maleco occiso.

set? Hamra (ɔ: barbara), filia Dhomræ, respondit. Ego puto, inqvit, te esse barbaram neqve genuina Arabica stirpe. Minime barbara sum, respondit foemina, neqve me procrearunt barbari.

Ego sane filia sum Dhomræ, filii Gaberi. Dux erat Maaditarum, gloriâ insignium continua successione.

Per Deum! inqvit Amru, nisi metuerem, ne infantem tui similem pareres, sane te ab igne averterem. Per eum, respondit foemina, qvem rogo, ut cervical tuum diminuat, palumqve tui tentorii deprimat! non occidis, nisi mulieres, qvibus superiores sunt mammæ et inferius est manifestum(?). Amru in ignem eam injici, jussit. Respiciens ad ignem, foemina dixit: annon caducus et evanescens est locus anus? Qvum sulcus in arena factus circa eam plicatus erat, *apage!* inqvit, *juvenes facti sunt cineres;* qvod effatum abiit in proverbium. Ab hac die Amru cognomen Moharreki traxit. Inter reges Giofnidicos qvoqve erat Moharrek,[91] verum is non erat Dsahib-albordein. Hæc historia de duabus vestibus striatis ita narratur: qvum advenarum turba aliqvando apud Moharrek convenerat, duas vestes striatas, advenas tentandi causa, e vestiariis suis promsit, his verbis: surgat is, cujus tribus inter Arabes potentissima est, hasqve duas vestes sumat! Surrexit Amer, filius Oheimeri, easqve sumsit, unâqve, tunicæ instar, se induit, alterâ pallii instar, se amicivit. Tune pertines ad potentissimam Arabum tribum? interrogavit Amru. Omnis potentia, respondit, est penes Maaditas, deinde penes Nezaritas, tum penes Modharitas, deinceps penes Tamimitas, posthac penes Saaditas, exinde penes Caabitas, deniqve penes Bahdalitas. Qvi hoc non agnoverit, de honore mecum disceptet. Siluere homines. Hæc est, inqvit Amru, tribus tua, ut opinaris, [ɔ: talibus laudibus celebranda est, ut opinaris, tribus tua]; sed qvomodo es ipse? et qvomodo tui? Ego sum pater, respondit, decem filiorum, frater decem fratrum, patruus virorum, et avunculus virorum. En ita ego ipse sum, et testis roboris est testis meus. His dictis, pedem suum in terram posuit, dicens: qvi eum de loco suo dimoverit, ei centum dabo camelos. Sed nemo audebat. Abibat itaqve cum duabus vestibus striatis. Arabes de robore ejus, ut et de duabus ejus vestibus, proverbium formarunt.

Et Maria duabus inauribus te ornaret.

Illa est Maria[92]), filia Dsalemi, filii Vahebi, Cenditæ, uxor Haretsi majoris Ghassanidæ, unius regum Arabum in Syria, et mater Haretsi minoris. Mater Mariæ erat Hend-elhonud, uxor Acal-elmorrari. Erant in Mariæ inauri duæ margaritæ mirandæ, duæ uniones magnitudine ovi columbini. Pater ejus has acceperat inter prædam, qva reges Jemenenses spoliaverat; qva de re longa est historia. Posthac jure hereditario a regibus, uno post alterum, possidebantur, donec in potestatem Abdalmaleci, filii Mervani, pervenirent. Hic filiæ suæ Fathimæ eas donabat, qvum Omaro, filio Abdelazizi, eam nuptum dabat. Omar vero deinde, chalifa creatus, eam rogabat, ut, si apud ipsum subsistere et in honore esse amaret, duas inaures mundumqve muliebrem in ærarium Moslemorum deponeret. Votis ejus annuit. Omaro vero mortuo, frater Fathimæ Jezid, filius Abdalmaleci, chalifatui post Omarum præfectus, misit ad eam nuntium, qvi eam rogaret, ut duas inaures mundumqve muliebrem recuperaret. Fathimah autem respondit: id qvod, dum in vivis erat, in pios usus legaverim, eo mortuo, non retractabo. Refert Meidani, Mariam geminas suas inaures dono Cabæ obtulisse, easqve in ea suspensas.

91) Cfr. hist. pr. regn. Ar. pag. 44. 92) Cfr. l. l. pag. 47.

Et Amru gladio Dsemdsamah te cingeret.

Ille est Amru, filius Maadicarbi, filii Abdallæ, Zobeidita[93]), metonymice appellatus Abu Tsaur, eqves celeber, socius expeditionum et proeliorum celebratorum tempore insipientiæ et Islamismi. Advenit ad prophetam anno fugæ decimo. Ipse nempe ait: "qvum Medinam veneram, adii prophetam, a Tabuc reversum. Volui qvidem ad eum appropinqvare, sed ii, qvi circum eum stabant, me impedivere. Propheta vero jussit, ut me procedere sinerent. Appropinqvavi itaqve ad eum, dicens: tibi faustam lucem precor! abnuas maledictionem! O Amru! respondit, amplectere Islamismum! tunc salvus fies, et Deus a terrore maximo te securum præstabit. Sacra Islamismi amplexus sum." Amru usqve ad tempora chalifatus Otsmani vixit. Tentavit in proeliis Islamismi tentationem bonam, ut in proelio apud Kadesiam. Ille erat, qvi gladio elephantum in naso percussit, unde terga vertit, et Persæ terga verterunt. Amru causa erat victoriæ, ut in proelio apud Jarmuc, aliisqve. Ait Chatsami: neminem vidi eminentiorem; vidi, proelio apud Jarmuc contra eum prodiisse onagerum, rursus alium, et deniqve tertium, qvos omnes, alterum post alterum, occidit. Ceteri fugam ceperunt; ille vero eos persecutus est: et ego, ait Chatsami, eum secutus sum. Deinde recessit ad campestre suum tabernaculum nigrum et tritum; qvo qvum descenderat, afferri jussit scutellas ligneas, eosqve vocavit, qvi circum eum erant. Interrogabam, qvis hic vir esset? Respondebant, esse Amruum, filium Madicarbi. Ibn Abi Hatem narravit: die proelii Kadesiæ, Amruum, filium Madicarbi, prætervecti, eum audivimus inter utramqve aciem [Moslemorum et Persarum] stantem, homines instigare et dicere: o homines! estote vehementissimi in dimicando! hic vir e Persis est; qvum brevem suam hastam projecerit, utiqve infelix est. Dum ita nos ad pugnam instigabat, contra eum, inter duas acies stantem, Persa aliqvis prodibat, sagittâqve eum petebat, neqve errabat cornu arcus ejus. Amru vero, corpore flexo, declinabat; deinde in Persam irruens, eum amplectebatur, zonâqve ejus prehensâ, portandum eum tollens, inter manus suas ponebat; qvum prope a nobis eum apportaverat, collum ejus frangebat, deinde gladio Dsemdsamah eum jugulabat, et, avulsis duabus ejus armillis zonâqve, eum projiciebat. Isto modo, inqvit, erga eos agite! Qvis potest, respondimus, agere, ut tu agis? Abu Obeidah narravit: Persis apud Kadesiam victis, Moslemi magnis opibus potiti sunt. Saad, filius Abi Vakadsi, qvinta parte exemta, residuum divisit inter eqvites, ita ut singulis sex mille nummi obvenirent; qvum vero multæ opes adhuc restarent, ex Omaro, literis datis, percunctabatur, qvid ageret. Omar ei rescribebat: redde Moslemis qvintam partem, eiqve, qvi tecum conjunctus proelio interfuit, largire præ eo, qvi proelium non obivit. Ita egit. Deinde rursus Omar literis eum jussit, qvid restaret, iis dare, qvi Alcoranum in memoria habebant. Interrogabat itaqve Amruum, filium Madicarbi, qvid memoriâ teneret ex Alcorano? Moslemus factus, respondit Amru, expeditionibus, qvæ me occupatum habuerunt, impeditus sum, qvo minus Alcoranum tenerem. Interrogabatur qvoqve Baschr, filius Rabiâh, qvid teneret ex Alcorano. Respondebat: in nomine Dei, miseratoris, misericordis; qvod responsum risum movebat. Qvid vobis, inqvit Saad, ex his opibus tribuendum sit, acu tangemus. Amru cecinit:

---

93) Vide mon. hist. ant. Ar. Tab. gen. XII, et pag. 142.

Occisos nemo nos flet. Koreischitæ aiunt: annon hæc sunt fata?

Æqva portione donamur; qvi vero hastâ confodit, ei munus extraordinarium, neqve æqva portio tribuenda est, qvum denarios dones.

Eadem de re Baschr qvoqve versus nonnullos recitavit. Saad, qvum Omarum, literis datis, edocuerat, qvid Amru et Baschr dixissent, jubente chalifa ærumnas, qvas in proeliis perpessi erant, remunerari, qvatuor millia dirhemorum iis donavit.

Modainensis narravit: Amru, filius Madicarbi, aliqvando erat in cohorte eqvitum, cui præerat Selman, filius Rabiah, qvi, qvum eqvos lustrabat, prætervecto Amruo, alicui eqvorum suorum insidenti, dicebat, eum eqvum mare arabico, fæmina vero extera genitum esse. Amru respondit, eum et a patre, et a matre nobilem esse. Deinde Selman, qvum eum eqvum, qvi sitibundus erat, adduci jusserat, in scutum aqvam versit, eqvisqve omnino nobilibus adductis eam potum præbuit. Postqvam hi biberant, venit eqvus Amrui, et, flexis pedibus suis anterioribus, (more eqvorum a patre tantummodo nobilium), bibit. Hinc Selman Amruo: nonne vides, inqvit, tuum eqvum non omnino nobilem esse. Immo, respondit Amru, vir patre libero matreqve serva natus optime cognoscit eqvum sibi parem. Chalifa Omar, hanc rem edoctus, ad Amruum scripsit: rescivi, qvid duci tuo dixeris, et tibi esse gladium, qvem Dsemdsamah vocas; apud me gladius est, Modsammem billah (ope Dei penetrans dissecansqve) dictus: utiqve si hunc in ducem tribus tuæ immisissem, non extraherem, anteqvam mihi contingeret pro meo tuum gladium emere; si vero lætum te reddat certo cognoscere, qvid dicam, revertere!

Traditum est, Omarum aliqvando Amruum interrogasse, qvid de bello sentiret? Respondit: bellum est amarum gustare, qvum vehementiam manifestaverit; qvi constans patiensqve est, cognoscit; qvi vero debilis est, perit. Porro interrogavit, qvid de lancea sentiret? Lancea, respondit, tuus est amicus, et forte diversorium tuum. Qvid sentis de sagittis? Fata, respondit, modo aberrant, modo feriunt. Qvid de scuto? periodi fortunæ in eo gyrum agunt. Qvid de gladio? Respondit: te orba mater tua — Minime! mater tua — qvæstio, respondit, me tibi prostravit [qvæstione me vicisti]. Chalifa Amruum duriter allocutus est; qvare hic cecinit:

Num mihi promittis commoditates vitæ, ac si dominus esses validi, aut dominus vacillantis.

Noli gloriari de imperio tuo! qvivis rex vilis evadit, postqvam dura indole fuit.

Vera dixisti, inqvit Omar, sume de me vindictam! Minime! respondit Amru, qvin potius condono, o princeps fidelium! Nisi Alcorani comma qvoddam a te audivissem, te gladio ferirem, (?) 94) sive ceperis eum, sive missum feceris. Qvidnam est comma? interrogavit Omar. Audivi, respondit, te legere, eum, qvi criminis reus, ad dominum suum venit, gehennam ingressurum, in qva neqve morietur, neqve vivet. Per Deum! si scirem, me, eam ingressum, moriturum esse, patrarem.

Dicitur, non fuisse in Amruo pravam consvetudinem præter vaniloqventiam. Exemplum hujus vitii narravit Abu Amru, filius Olæ: Amru aliqvando in stabulo camelorum subsistens, ubi more Arabum historias narrabat: tempore insipientiæ, inqvit, prædandi causa excurri in Malecitas, qvi prodibant, in fronte ducem habentes Chaledum, filium Dsâkabi. Mox gladio

94) Vide Amrù ben Kelthum Moallaka, ed. Kosegarten, pag. ١٢.

meo Dsemdsamah in Chaledum irrui, ejusqve caput demessui. Ipse vero Chaled præsens aderat; hinc coetus auditorum qvidam dixit: caute! Abu Tsaur! cæsus tuus sermonem tuum audit. Amru vero de his verbis parum laborans, ei innuebat, dicens: tace! utiqve commentor es; audi, aut surge; Deinde ad Chaledum respiciens: utiqve, inqvit, timemus in his historiis hanc sermonis iniqvitatem. Qvibus dictis, historiam suam, eam haud incidens, continuabat. Vir aliqvis ei dixit: sane strenuus es bello, et mendax. Ita sum, respondit Amru.

Vir qvidam aliqvando venit ad Amruum, qvi in stabulo apud eqvum suum stabat, et tunc temporis ætate provectus erat. Explorandi causa, ut dicebat, qvid de robore Abi Tsauri restaret, manum inseruit inter tibiam ejus latusqve eqvi. Qva re animadversa, Amru pedem suum eqvo appressit; unde seqvebatur, ut eqvus se moveret, et vir, cujus manus coarctabatur, una cum eqvo transversum ageretur. Hic, manum extrahere non valens, deniqve Amruum inclamare coepit. O fratruelis! qvo malo conflictaris? inqvit Amru. Manus mea, respondit, tuo crure premitur.. Manum Amru misit, his verbis: certe in patruo tuo reliqviæ sunt roboris, qvæ iniqvæ sunt.

Inter effata ejus narrantur ea, qvæ dixit, qvum ad Mogaschî, filium Masudi, veniens, ab eo eqvos vectarios(?) armaqve sibi congrua petebat. Postqvam nempe Mogaschî eqvum velociter currentem, gladiumqve acutum, atqve viginti millia Dirhemorum ei dari jusserat, prætervehebatur Handsalidas, qvibus, qvid ei videretur de socio ipsius, interrogantibus, respondebat: Deo sunt filii Mogaschii! qvam vehemens est in bello incursus eorum! qvam liberale in temporum angustiis est donum eorum! qvam pulchrum est encomium eorum ob actiones præclaras! per Deum! me iis opposui, eos autem pusillanimes non comperi; petivi ab iis, sed avaros eos non deprehendi; satyris eos perstrinxi, sed ad silentium eos non redegi. Inter præstantia ejus carmina sunt hæc:

Qvum vidi eqvitatum, declinantem, ac si esset rivi aqvæ, qvi libere missi, se per terras extenderunt,

Ferbuit mihi, primo cogitanti de eo eqvitatu, anima 95), *sed rejecta in exosum suum, firmiter mansit.*

Factus sum, ac si hastis essem annulus, qvo impetendo ars confodiendi discitur; pugno pro filiis Germi, sed ii fugerunt.

Si gens mea, me loqvi, sivissent, hastæ eorum etiam loqverentur, sed hastæ præeuntem imitatæ sunt.

Item qvod ait in poemate, ab his verbis incipiente: *fidem habuit misericordiæ ejus precator obediens:*

Certe mirata est Omamah me videre; timuit [mihi] *de canitie horrenda* 96).

Canitie afficit caput ætas longa, et sollicitudo ei adducit calvitiem (?).

Progressus est unus exercitus ad incurrendum in alium, qvem caput calvum vilipenderat.

---

95) Præ timore, حميت من الفزع. Schol. Ham.

96) Valde exosa Arabibus est canities, vide Ann. Mosl. T. I, ann. hist. pag. 37.

Qvum non potis sis rem efficere, eam mitte, et transgredere eam ad id, qvod potis es facere.

Et junge eam properantiæ et audaciæ, et qvamcunqve rem, sive tibi alta est, sive tu ei altus es, studio et cupidine aggredere. 97)

Decor et honestas inter ea non est, qvibus tegitur corpus, sed scito, indui veste striata.

Decor autem est fodinæ et virtutes, qvæ hæredem faciunt gloriæ.

Qvot gladii sulcati fissione findunt cassides et corpora!

Qvot monent vitam meam [ɔ: ut vitæ meæ caveam]! *moneo, ut, si occurrero, vehementer incurram.*

Qvot fratres meos probos deduxi manu mea in sepulchrum!

Abierunt, qvos diligo; ego vero remansi solus, sicut gladius [cujus ope nemo indiget].

Si vel nil præter hocce poema composuisset, ob hoc solum dignus esset, qvi multis mortalibus præferretur.

Dsemdsamah celeber erat Amrui gladius. Ait Abdalmalec, filius Omeiri, Balkidem muneri obtulisse Salamoni qvinqve gladios: Dzulfekar, Dzulnun, Michdam, Rasub, et Dsemdsamah. Dzulfekar gladius erat legati Dei, qvem Monabbeho, filio Hegagi, in Bedrensi proelio ademerat. 98) Michdam et Rasub gladii erant Haretsi, filii Gabalæ, Ghassanidæ. Dzulnun et Dsemdsamah erant Amrui, filii Mâdicarbi. Fertur Omar, filius Chatthabi, Amruum rogasse, ut ad se mitteret Dsemdsamah. Obtemperavit. Omar autem eum comperit non respondere ad id, qvod sibi de eo narratum erat. Qvod qvum Amruum edocuerat, hic respondit. Dsemdsamah qvidem ad te misi, neqve autem mitto manum, qva ices. Abu Obeidah narravit, Dsemdsamah ad Sâid, filium Aadsi 99) transiisse. Qvum nempe Chaled, filius Validi, Zobeiditas expeditione suscepta peteret, Chaled, filius Sâidi, filii Aadsi, unus ejus Emirorum, Zobeiditas aggressus, captivam duxit Rihanah, sororem Amrui, filii Mâdicarbi; Chaled autem eam redemit, et Amru ei Dsemdsamah, ut pensitationem, dedit. Deinde desiderabatur die Medinæ, in loco, ubi Otsman occidebatur; sed posthac inveniebatur. Deniqve chalifa Muhammed Mahdi, qvum Basram adscendebat, Vasethi commorans, mittebat ad filios Aadsi, qvi ab iis Dsemdsamah qværeret. Responderunt, eum in sacros usus dicatum esse. Qvinqvaginta, inqvit, gladii acuti causam Dei melius promovebunt, qvam unus gladius. Qvinqvaginta itaqve gladiis iis donatis, Dsemdsamah cepit. Qvum deinceps in chalifæ Hadii potestatem gladius pervenerat, ille eum adduci jussit, poetasqve præcepit, ut eum canerent. Qvidam eorum hæc cecinit:

Contraxit ad se Dsemdsamam Zobeidita Amru, ex omnibus hominibus Moses fidus.

Non curat is, qvi eum ad icendum strinxit, utrum manus sinistra, an dextra cum eo impetum fecerit.

Deniqve in manus Motavacceli pervenit, qvi puero suo Iaghyz (fusco) Turcæ eum dedit; eoqve Turca chalifam occidit [1]). Qvo hic gladius, postqvam Iaghyz eum possidebat, deveniret, nil compertum.

---

97) Seqventem versum non intelligo.

98) Cfr. Ann. Mosl. T. I, pag. 195.

99) Cfr. lib. laud. T. I, pag. 375.

1) Cfr. lib. laud. T. II, pag. 205 et 700.

Et Harets te Nâamæ imponeret.

Naamah erat eqva Haretsi, filii Obadi, Tsalabitæ[2]), maximi ducum Vailitarum; is erat, qvi recedebat a bello Basus, dicens: mihi in eo neqve est camela, neqve camelus. Occiso autem filio suo, surgebat, dicens:

Prope me sit [ɔ: mihi adducatur] *habena Nâamæ! bellum Vailitarum post complures generationes turbas movet.*

Neqve similis esses Barakeschæ, qvæ gentiles suos hostibus indicabat.

Hoc proverbium de eo dicitur, qvi aliqvid patrat, cujus noxa in caput ipsius recidit. Dissentiunt opiniones de origine hujus proverbii. Aliqvot, et qvidem pleriqve dicunt, Barakesch nomen esse canis, qvi latrabat hostilem exercitum, qvi sibi proposuerat in gentem aliqvam incurrere, cujus sedes et domicilium eum latebat. Canis autem latratu edocti, ubi gens invadenda moraretur, eam perdebant. Hinc dicunt Arabes: sinisterior, qvam Barakesch, et: crimen commisit erga gentiles suos Barakesch. Abu Amru, filius Olæ, ait, Barakesch uxorem fuisse regis cujusdam, qvi, iter ingressus, eam post se relinqvebat. Erat iis locus, in qvo, si qvid metuerent, fumum ciebant; qvo conspecto, milites eo confluebant. Qvum autem ejus puellæ aliqvando noctu lac acidum siccum coqventes[3]), fumum civerant, militesqve, fumo conspecto, convenerant, mulieri dixere monitores et amici: remitte eos, neqve operâ eorum in ulla re utere! Qvum vero rursus alia nocte fumum civerat, milites non advenerunt; qvapropter eos jussit ædificium prope domum suam exstruere [ut ibi commorantes coram adesse possent]. Rex ex itinere redux, interrogavit, qvid sibi vellet istud ædificium, atqve, expositâ sibi historiâ: Barakesch, inqvit, in gentem suam injuste agit.

---

2) Cfr. hist. pr. regn. Arab. &c. pag. 112, 113, 114.

3) عبثن, parabant ex oxygala siccam substantiam, qvæ اقط, persice كشك dicitur. Hæc vox in præstantissimo lexico Persico برهان قاطع, ed. a Th. Roebuck, Calcuttæ, 1818, ita pag. 724 explicatur: كشك بفتح اول وسكون ثاني وكاف دوغ خشك شده باشد وبتركي قروت خوانند وبعضي كويند نان خورشي است كه آن را از ماست مي پزند وبعضي كويند طعامي باشد معروف كه آن را از آرد كندم وآرد جو وشير كوسفند راست مي كنند ويك قسم از آن را كوشت وكندم نيز داخل مي سازند ومانند هريسه مي خورند وبفتح اول وثاني بمعني عكه باشد وآن پرنده ايست سياه وسفيد كه عربان عقعق خوانند وبمعني خط هم آمده است خواه بر ديوار كشند وخواه بر روي كاغذ وبضم اول وسكون ثاني مخفف كوشك است كه بالاخانه باشد۞

Sed, ut mihi videtur, vespera te impegit in Serhanum [lupum].

Ille est Serhan, filius Kânebi, Jarbuita, vir intrepidus, qvi vallem contra prædones tuebatur. Advenit Auf, Asdita: testor, inqvit, Serhanum me non prohibiturum, qvo minus hac nocte camelos ejus pascam. Pavit itaqve camelos Serhani, sed hic eum deprehensum occidit. Hinc cecinit frater Aufi, alloqvens hujus uxorem:

Aurora significavit, vesperam impegisse pastorem gentis illius [auroræ] *in Serhanum.*
Vespera eum impegit in aliqvem, fulgente luna, egressum, neqve eum dimovet, metu rerum novarum ducta.

Alii dicunt, eam esse hujus proverbii originem: animal aliqvando exiit ad pabulum vespertinum qværendum, sed lupus eum reperit et devoravit. Alii dicunt, virum nyctalopem incidisse in lupum, qvi eum devoravit.

EXCERPTA E NUVEIRIO.

Caput secundum sectionis secundæ partis secundæ de memorandis Arabum ritibus.

Avabid hoc loco idem significat, ac Davahi. Sunt inter ea, qvibus Deus O. M. hanc gentem Islamiticam prohibuit, et qvorum Moslemos admonuit. Legitur nempe in Alcorano[1]: "o qvi crediderunt! certe vinum, sortitio, statuæ, sagittæqve aleatoriæ sunt impuritas ex opere Satanæ, eumqve devitate, ut vos felices sitis." Porro legitur[2]: "Non statuit Deus aliqvid de bahirah, neqve sajibah, neqve vadsilah, neqve ham." Porro[3]: "utiqve rejectio unius mensis sacri in alium mensem est excessus in infidelitate; errare sinuntur in eo a Deo, qvi sunt infideles; licitum faciunt hoc uno anno, et prohibent hoc alio anno." Erant Arabibus miri ritus, qvos inter se habuerunt judicia, sacrificationem, deviationem, consvetudinem, medicamen, indicem, omen et augurium. Ex his erat *Albahirah:* Ajunt, Arabes nomades carnem, oppidanos autem ex arvo idolis suis donare solitos esse. Qvum camela qvinqvies peperisset, pullum qvintum, si non masculus esset, sumebant, ejusqve aurem findebant. Hic pullus foemineus vocabatur Albahirah. Nonnunqvam congregatum erat agmen qvadraginta minimum talium camelarum, Albohur[4]) dictarum. Pili iis non tondebantur, neqve super eas nomen Dei dicebatur, si jugularentur, vel si onus portandum iis imponeretur. Lac earum viris citra foeminas erat.[5])

Alvadsilah: qvum ovis septies enixa esset, septimum sumebant pullum, qvi, si masculus esset, mactabatur, sin foemineus, inter oves relinqvebatur. Si vero et mas et foemella ederetur, dicebatur: junctum sibi agna habuit[6]) fratrem suum. Ambo sacri erant; emolumenta ex iis redundantia, atqve lac femellæ viris citra mulieres erant.

Essajibah: qvum vir e possessione sua aut pecudem, aut hominem manumitteret, erant sacri in perpetuum. Emolumenta e tali animali redundantia viris citra mulieres erant.

Alham: qvum pulli admissarii ad justam magnitudinem adolevissent, ejusqve pullus factus esset avus(?), dixere: prohibitum sit dorsum hujus admissarii [oneribus]! mittite eum! neqve laborabit, neqve ei ineqvitabitur, neqve aqva vel pascua ei prohibebuntur. Qvum hi, qvos idolis suis dicassent, morerentur, viri et foeminæ eos comedendi participes erant. Hac de re legitur in Alcorano[7]): "et dixerunt: id qvod est in ventribus horum pecorum, licitum est maribus nostris, et prohibitum uxoribus nostris. Qvod si fuerit morticinum, ipsi ejus participes sunt." Arabes oppidani et agricolæ, arvo semine plantisve consito, lineam in medio ejus ducebant, sataqve inter duos partiebantur, idolis suis, qvid citra hanc lineam, Deo, qvid ultra eam esset, dicantes. Si qvid caderet ex iis, qvæ idolis suis dicaverant, id firmabant. Qvum aqva, qvam parti idolis suis dicatæ inspersissent, sese expandere, et in eam partem, qvam Deo sacram dixissent, effluere studeret, eam obstruebant; si vero ab hac in illam (sc. idolorum) partem aqva efflueret, dice-

---

1) Sur V, vers. 99. ed. Marraccii. 2) Alcor. sur. V, vers. 112. 3) Alcor. sur. IX, vers. 38.
4) Pluralis τῆς Albahirah 5) Vide Pococke Spec. hist. Ar. ed. White, pag. 319 seq.
6) Vel melius forsitan: habeat, vide Sacy Gram. T. I, pag. 129. 7) Sur. VI, v. 139, ed. Marrac.

bant: mittite eam! utiqve ea pars ejus indiget.[8]) Qva de re Deus O. M. hæc demisit[9]): "Et constituerunt Deo ex eo, qvod produxit de satis et pecoribus portionem, et dixerunt: hoc debetur Deo, dicentes hoc, juxta opinionem suam: et hoc debetur sociis (id est diis) nostris. Qvod vero erat debitum sociis eorum, non perveniebat ad Deum: qvod autem erat debitum Deo, hoc perveniebat ad socios eorum. Malum est, qvod circa hoc judicant."

Alazlam: Qvum mutua altercatio esset, aut matrimonium, aut res, qvam qvidem volebant, sed veram ejus rationem ignorabant, aut saltem eam non clare perspiciebant, sagittas sibi sumebant inscriptas: fac, non facies: ita, minime: bene, male: lente, propere.[10])

Almodarah: Erant iis sagittæ, inter qvas alba, in qva nil erat [nil portendens]; has agitabant, et cujus sagitta exibat, ei victoria de adversario jure tribuebatur. Duabus sagittis aleatoriis decernebant, utrum iter ingrederentur, an domi se continerent. Adibant nempe aliqvem custodum templorum idolorum, qvi idolum his verbis alloqvebatur: o Deus! utra sagittarum melior sit, eam τῳ δεῖνι extrahe! utracunqve ei extracta fuerit, acqviescet. Qvum de stirpe viri dubium esset, agitabant huic sagittas, inter qvas una, pura aliisqve gentibus non immixta, alia adscita et confoederata vocabatur. Si illa exiret, eum sibi adjungebant; sin hæc, eum repellebant. Hæ sunt sagittæ alistiksam, s. qvibus discernere studebant, qvid sibi decretum esset.

Almaiser: hoc aleæ genus ita se habuisse dicitur: homines, ea fine congregati, camelum mactatum inter se distribuerunt, eumqve in decem partes dissecuerunt. Deinde adducebatur sortitor, qvi sagittas apud eos conficiebat, neqve vero unqvam carnem pretio comedebat, [sed modo lusorum sagittas extrahebat]. Tunc adducebantur sagittæ aleatoriæ, undecim nempe sagittæ; qvarum septem, qvibus erat sors felix, si vincerent; sin minus, possessor talis sortis mulctabatur, pro portione emolumenti, qvod cepisset, si sors vicisset. Qvatuor sagittis, nulla nota insignitis, nullum erat emolumentum, si vincerent, nullaqve mulcta, si irritæ fierent. Ex iis autem, qvibus erat emolumentum, prima vocabatur Fed, in parte sua superiore unâ crenâ notata, qvæ, si exiret, una potiebatur portione; si vero irrita fieret, possessoris erat, mulctam solvere ei, qvi potiebatur: Secunda Taum vocabatur, cui erant duæ portiones, si succederet; si autem victoriâ non potiretur, mulcta, sc. pretium duarum portionum, solvenda erat: Tertia Dharib appellabatur, cui erant tres portiones: Qvarta Hils, cui qvatuor erant portiones: Qvinta Nafis, cui qvinqve portiones: Sexta Musbil, cui sex: Septima deniqve Maalla, cui septem. Dicitur, sextam s. Musbil, qvoqve Musfah, et tertiam, s. Dharib, et Rakib vocatam esse. Dsahib, filius Obadi, hæc nomina collegit, et in versibus ita composuit;

En res sagittarum sortilegarum mirabilis: Fed, Taum, Rakib,
Hils, deinde Nafis prosper, et Musfah celeber, laudatus,
Deinde Maalla, cujus sors est expetita. Cape eam! attulit tibi eam ordo sortilegii.

Qvatuor sagittæ, nulla nota insignitæ, sunt: Safih, Manih, Modhaaf et Vaghd. Ait Ibn Koteibah: Sorti, Manih dictæ, duo sunt loca, unus, qvo inanis, alter, qvo prospera sors est; ac si esset, cujus sors victrix donabatur. Hoc qvoqve probat dictum Amrui, filii Kabidsæ:

In manibus eorum erant æs alienum pignoraqve non repignerata, sed redibat cum eo, unde domestici sustentari possent, sagitta donatrix eorum Manih.

---

8) Vide Pocockii Spec. hist. Ar. ed. White, p. 112.
9) Alcorani sura VI, v. 136, ed. et vers. Marrac.
10) Vide Pocockii Spec. hist. Ar. p. 316.

Afferebantur itaqve omnes sagittæ. Qvisqve ludentium scivit, qvamnam septem sagittarum sibi elegisset; neqve enim lusores majori numero, qvam septem, erant. Si igitur unus vel duo collusores iis deessent, ceteriqve viri reliqvas sagittas sumere vellent, viro licebat unam duasve sagittas sumere, ea lege, ut præmium earum, si succederent, caperet, mulctamqve iis injunctam, si non succederent, solveret. Hoc vocatur Tamim [11]). Qva de re ait Nabegah:

Ego expleo aleatores meos; muneribus eos afficio; a me beneficia [iis contingunt]; *amicio progeniem fuscam.*

Deinde postqvam omnes sagittæ segmento corii constrictæ erant, dextra sortitoris manus veste obvolvebatur, ne inveniret, cui sagitta esset, cujus possessorem amore proseqvebatur, ejusqve parti in ea extrahenda faveret. His factis, afferebatur vestis alba, Migval vocata, qvæ inter manus sortitoris expandebatur. Huic adstitit vir, Rakib s. observator vocatus, qvi sortitori thecam sagittarum tradebat, et is erat, qvi thecam, in qva sagittæ continebantur, agitabat. Sortitor, theca accepta, manum sinistram sub vestem immisit, sagittamqve, si qva e theca promineret, sumsit, adstantiqve observatori tradidit. Qvæ si esset e sortibus inanibus, eam rursus in thecam inseruit. Si vero exiret post eam sors Musbil dicta, tres reliqvas sumebat; iiqve, qvibus non succedebat, obstricti erant tribus portionibus ex alio camelo mactato solvendis. Hoc modo tractabantur ii, qvi sortem felicem experiebantur, iiqve, qvi frustra sortes tentabant. Nonnunqvam complures camelos mactarunt, neqve mulctæ e pretio eorum solvendæ obstricti erant ii, qvi sortem felicem experiebantur, tantummodo ii, qvi frustra sortes tentabant. His non licuit comedere e camelis in aleam sortium datis. Si vicisset sagitta alicujus, eamqve iterum in discrimen sortium reducere vellent, iis licebat. [12])

Conjugium odii: Qvum vir diem obiverit, filius ejus natu maximus, veste sua super uxorem patris sui injecta, conjugium hujus hæreditate accepit. Si vero filio natu maximo non esset voluntas eam uxorem ducendi, aliqvis ejus fratrum eam novo dono sponsalitio donatam uxorem duxit. Matrimonium mulierum, perinde ac opes, hæreditate acceperunt. Demisit autem Deus O. M hæc verba [13]): "o qvi creditis, non vobis licet mulieres invitas hæreditatis jure accipere, neqve eas a matrimonio cohibeatis."

Projectio stercoris camelini: Tempore paganismi mulier, qvum maritus ejus vita decessisset [14]), intravit parvam aliqvam domum ex arundine factam, ubi veste levissima sua se induit, neqve ungventum, neqve aliam ullam rem tetigit, anteqvam annus ei effluxerat. Deinde ei afferebatur vel asinus, vel ovis, vel volucris, super qvam manum ducebat, neqve ullum animal fertur demulsisse, nisi mortuum esset. Ad seqventis anni initium egressa, stercore donabatur; qvo abjecto, usum aromatis aliarumqve rerum iterabat. Eo qvod stercus projiceret, significabatur,

11) Hujus ritus mentionem facit Ibn Doreid in Etymologico genealogiarum Arabum (MS. bibl. Reg. Haun. No. 87, qvart. pag. 200) his verbis: وقد سمت العرب تميما وتمّاما ومتمّما فاما متمّم فهو المتمّم الايسار اذا نقصوا عن سبعة اخذ سهمين حتى يتمّهم ۞

12) Vide Pocockii Spec. hist. Ar. ed. White, p. 313. seq.

13) Alcor. Sur. IV. v. 23.

14) Est, ut danice dicimus: döde fra hende.

eam hanc actionem sibi vilem, haud aliter ac hoc stercus projectum, putare. Hunc ritum propheta his verbis abrogavit: "et qvi defunguntur ex vobis, et relinqvunt conjuges: exspectabunt eædem conjuges in semetipsis sine novis nuptiis qvatuor menses, et decem dies" 15).

Mactatio alâtair: Dicitur inter Arabes fuisse, qvi ovem, alâthirah et almâturah dictam, mactavit, sangvinemqve super caput idoli effudit. Hanc ovem mense Regeb immolabant. Alâtr dicitur idem esse, ac Aldzabh. Dicitur qvoqve esse idolum, cui alâtirah immolatur. Ait Thermah: *Secuit prostratum, sicut ovem, almâturah dictam, sacrificationis.*

(Intellexit per alâatirah ovem mense Regeb idolo immolandam).

Pactum intermissionis aqvationis camelorum per septem vel decem dies jam supra commemoratum est, ubi mentio fiebat de nominibus ignium Arabum.

Mactatio dorcadis: Erat vir, qvi vovebat, si cameli vel oves ipsius metam contigissent, se certum numerum eorum esse immolaturum. Qvum vero metam contigerant, avaritia ductus iis pepercit. Dorcades autem venari instituit, captasqve immolavit; qvo modo sibi persvasit, se votum solvisse. Hoc tangit poeta in isto:

Decepit nos iniqve et false, qvemadmodum immolabat a stabulo gregis dorcades.

Ligatio albelaja: qvum vir diem obiisset, ad sepulchrum camelam ejus ligabant, capite ad caudam revincto, et sagmate tecto. Qvæ camela si effugeret, ab aqva vel pascuo non repellebatur. Opinantur, eos ita egisse, ut possessor defunctus ei in altera vita ineqvitaret, et super ea excitaretur, neqve opus haberet pedibus ire 16). Ait Abu Zobeid:

Ut cameloe ad sepulchrum dominorum ligatæ, qvarum capita sagmis tecta, ...
ventus Samum calorem genarum.

Egressus bubonis: Opinabantur, si homo occisus non vindicatus esset, e capite ejus volucrem, bubonem dictam, exire, et super ejus sepulchro clamare: potum mihi date! potum mihi date! donec vindicta de ejus cæde sumeretur. Ait Dzuladsbâ:

O Amru! non sines contumeliam et detrimentum meum! opus te habeo [ad me ulciscendum], *ubi ait bubo: potum mihi da!*

Immissio hirudinum in tergum: Qvum cameli alicujus numerum centesimum attigissent, tergo cameli [admissarii], per qvem centum evaserant, hirudines imposuit, ne ineqvitaretur, et ut pateret, possessori ejus centum esse camelos. Hirudines tergo ejus impositæ lævorem cutemqve (?) vertebræ ejus tollebant, tuberqve vulnerabant.

Obcæcatio, et erutio unius oculi: Vir, qvando cameli ejus numerum millesimum attigerant, eruebat unum admissarii oculum, dicens, id oculum et incursum [latronum, qvi alias concupiscerent tam egregium admissarium possidere] ab eo removere. Hac de re ait poeta:

Dedi tibi hos camelos, sed tu beneficium mihi exprobras, oculosqve admissariorum eruis.

Si vero cameli numerum millesimum excederent, alterum admissarii oculum eruebat, eumqve igitur obcæcabat.

Deploratio occisi: mulieres occisum non antea deflebant, qvam vindicta ejus sumta erat; Cæde autem ejus vindicata, eum deflebant. Ait poeta:

15) Alcor. Sur. II, v. 135, ed. Marrac.

16) Vide Pocockii Spec. hist. Ar. ed. White, pag. 139.

Qvi gavisus fuerit de cæde Maleci, adferat iste mulieribus nostris faciem serenam!
Inveniet mulieres velo nudas eum deflere, genasqve primo mane percutere[17].

Projectio dentis in solem: dicunt, adolescentem, qvum dens ei caderet, eum indice et pollice solem versus solitum projicere, his verbis: substitue mihi pro eo meliorem! Tunc tutus erat a curvitate dentium, ab interstitio inter dentes incisorios et vicinos, atqve a carie. Ait Tharafah:

Sol ei substituit e plantario suo dentem, instar grandinis, album, cujus striata superficies polita est.

Tinctus juguli: Qvum eqvos in venationem misissent, unusqve eorum præcessisset, pectus ejus sangvine venationis ei in signum tingebant. Hac de re ait poeta:

Ac si sangvines ducum agminis in jugulo ejus essent succus facta expressione effluens e cypro, unde incanescit validus ad iter faciendum.

Complosio manuum: Qvando aliqvis eorum in deserto erraverat, vestes suas vertebat, camelam suam continebat, eiqve in aurem, perinde ac si homini innueret, clamabat, simul manibus plaudens: propere! propere! cito! cito! rectâ viâ perge! protinus! protinus! tarde! tarde! festinanter! His dictis, camelam propellebat, eaqve veram viam perseqvebatur. Ait poeta:

Vocem edidit manuum complosione is, cujus opinio mala erat; neqve sciet, utra manuum responsum det.

(Dicere vult, opinionem ejus in ipso malam esse, qvando errabat).

Resectio antiarum: Qvum virum captivum ductum, benevolentia erga eum ducti, libertate donarent, antias ejus resecabant, easqve in pharetram immittebant. Ait Hothejah:

Jaculando tecum certarunt, et extraxerunt e sua pharethra gloriam, bona hæreditaria, sagittasqve ruptam non habentes crenam.

(Per sagittas intelligit viros). Ait Chansa:

Resecuimus antias eqvitum eorum, sed putabant, eas non resectas esse.

Inustio integri a scabie: opinabantur, qvando cameli scabie infecti erant, scabiem ab ægroto desinere, qvum sanum cauterio inurerent. Ait Nabegah!

Imposuisti mihi crimen Amrui, eumqve missum fecisti, qvemadmodum, qvando camelus scabie laboret, alius cauterio inuritur, ipse vero ægrotus libere per pascua spatiatur.

Dicitur, eos, qvum sanum camelum inurerent, dicere solitos: contagium apud se proteget, [ita ut alii non inficiantur].

Verberatio tauri: opinabantur, genios tauris ineqvitare, qva re boves a bibendo prohibebantur. Ait Aâscha:

Utiqve ego ex eo, qvod vos duo mihi portandum imposuistis, qvamvis multi vestrum sciant, qvis fuerit contumacior magisqve peccans,
Sum sicut taurus, cujus tergo dæmon insidet; qvid vero est crimen ejus, adaqvandas aqvam aversari?

---

17) Vide supra, pag. 38.

Qvid est tauri crimen, boum agmen aqvam aversari? qvid [est crimen ejus], *abhorreri ab aqva, nisi ut ille verberetur.*

Ait alius: *Sic taurus baculis verberatur, qvando boves sitientes bibere nolunt.*

Talum leporis sibi suspendere solebant, dicentes, eum, qvi sibi affixum talum leporis habet, ab oculo et fascinatione non lædi; genii nempe a lepore fugiunt, qvia non est ex animalibus geniorum, siqvidem menstrua patitur. Ait poeta:

Neqve prosunt decem soni uno spiritu emissi, si calor (?) *irruat, neqve prodest* ودع, *neqve talus leporis.*

Dicitur Zeido, filio Cotsvæ: verissimum est, qvod dicunt, ei, qvi sibi talum leporis suspenderit, neqve appropinqvare dæmones ad eam familiam pertinentes, neqve dæmones, domum incolentes, neqve Satanam tamarindi, neqve dæmonem arboris Oschrah dictæ, neqve anthropophagos dæmones deserti, neqve ullos omnino dæmones terræ hominumve. Talus nempe leporis, per Deum! exstingvit lumina draconum Sâali dictorum.

Effluvium massæ sangvini similis ex arbore Semurah[18]): si puero metueretur malignus dæmonum adspectus, vel obcæcatio et fascinatio visus ejus a dæmonibus, opinabantur, eum, qvum dens vulpis, vel dens felis feminæ, vel id qvod ex arbore Semurah dicta effluxisset, ei affigeretur, tutum esse, atqve feminam dæmonicam, si eum vellet, nil erga eum valere; Qvum nempe sociæ ejus de tali puero ei dicant, respondet: gerit amuletum vulpinum, aut felinum, aut effluvio arboris Semurah constans.

Impingens et impactus: qvum alter oculum alterius ita impegisset, ut taraxi corriperetur, opinabantur, fervorem oculi sedari, qvum impingens septies oculum impacti abstergeret, singulis vicibus dicens: o ea venit ab urbe! secunda vice: eæ duæ venerunt ab urbe! tertia vice: eæ venerunt ab urbe! et ita porro usqve ad septem.

Calcatus mulieris, qvæ unum foetum semel enixa non amplius concipit: opinabantur, mulieri, qvæ unum foetum semel enixa non amplius concipiebat, qvum hominem occisum calcaret, liberos superstites fore. Hac de re ait Baschr, filius Abi Hazemi:

Qværunt eæ mulieres, qvæ plus semel non conceperunt, qvem calcent, dicentes: an non projicitur super virum velamen?

Suspensio mundi muliebris in homine a scorpione puncto: mundum muliebrem homini a scorpione puncto suspendebant, dicentes, eum, mundo ei affixo, convalescere: ei nempe imponebant armillas inauresqve, qvibus per septem dies eum, somno prohibitum, indutum esse sinebant. Ait Nabegah:

Mundus muliebris in manibus ejus est conseqventes tonitru fragores.

Cessatio torporis: qvum homo torpore pedis laborans memoraret, qvem maxime amaret, opinabantur, torporem cessare. Ait Catsir Ghazzah (?):

Qvum pes meus torpesceret, te invocabam. Nomen tuum invocando convalesco ex dolore pedis et torpore.

Mulier qvædam Calabitica dixit: qvum pes mihi torpesceret, Ibn Modsâb invocabam; si vero Abdallah vocarem, levabatur torpor ejus. Id qvoqve dicitur de Ibn Amru, eum, pede torpescente, Mohammedem solitum invocare.

18) Spina Ægyptia, vide Pocockii Spec. hist. Ar. ed. White, pag. 92.

Algela: qvum apparerent in labio adolescentis pustulæ, cribro capiti suo imposito, inter domos familiæ transiens, clamabat Algela: in cribrum ejus hinc dactylus, illinc fragmentum dactyli, isthinc frustum carnis projiciebatur; Cribro autem impleto, id inter canes dispergebat. Hac via, ut opinabantur, pustula vanescebat. Hæc pustula algela vocatur.

Emissio decem sonorum: Qvum aliqvis urbem intrare volens, ejusqve pestilentiam metuens, ad portam staret, decemqve sonos, qvemadmodum rudit asinus, anteqvam intrabat, ederet, opinabantur, eum urbem ingressum, ejus pestilentia non affectum iri. Ait Orvah, filius Vardæ:

Per vitam meam! certe si decem sonos, instar ruditus asinorum, præ metu interitus ederem, sane essem lamentabundus.

Nodatio genistæ: Si qvis eorum iter pararet, genistam fruticem nodabat; qvam si redux nodatam videret, opinabatur, uxorem suam, dum peregre aberat, fidem non fefellisse; sin solutam reperiret, uxorem fidem fefellisse, opinabatur [19]). Ait poeta:

Num tibi hodie prodest, multitudinem de eo, qvod præcipis, cogitare, numqve tibi prodest nodatio genistæ?

Circulus eqvi almahkul, s. circulo in pectore præditi: Intelligitur eqvus, in qvo est circulus, Hakâh dictus. Qvum ejusmodi eqvus, hero illi ineqvitante, sudaret, opinabantur, uxorem heri libidinosam factam, consvetudinem cum viris qvæsivisse. Ait poeta:

Qvum eqvus circulo in pectore gaudens, viro ei ineqvitante, sudaverit, libidine uxor viri exarsit, ejusqve perinæum calore auctum est.

Fissio pallii et ricæ: Qvum mulier virum amaret, vel ab eo amaretur, opinabantur, amorem eorum vitiari, nisi illa pallium, qvo vir indutus erat, et hic ricam mulieris finderet. Hoc innuit poeta in isto:

Qvum vestis finderetur, per vices rica pro veste findebatur, donec essemus, ac si veste non induti.

Qvot fidimus pallia pulchre concinnata, et ricas a puellis teneris, haud multum ultra maturitatis tempus provectis.

Occasus matutinus unius siderum Simac dictorum, dum alterum oritur: eum aversabantur, dicentes, in eo morbum esse camelorum. Ait poeta:

Utinam sidus Simac, ejusqve occasus non creata essent, et utinam Simac ambularet, non timorem injiciens integro in terris.

Humatio filiarum vivarum [20]): Deus O. M. hoc more eos interdixit in isto Alcorani [21]): "nolite occidere liberos vestros metu inopiæ! nos necessaria ad victum vobis largiemur." Solebant qvoqve eas occidere metu ignominiæ, vel metu, ne captivæ ducerentur. Qvod ad eos attinet, qvi filias suas metu inopiæ occidebant, traditur de Dsâdsâah, filio Nagijæ, Mogaschêita, avo Farezdeki, eum, qvum ad prophetam advenerat, dixisse: o legate Dei! ego facinus tempore insipientiæ patrabam, num id mihi hodie proderit? qvid patrasti? interrogabat propheta. Qvum aliqvando, inqvit, duas camelas decimum ab initu agentes mensem, amiseram, adqve eas investigandas, camelo conscenso, abieram, mihi apparuit domus trita, qvam adii. Virum, in atrio domus suæ sedentem, de duabus camelis interrogabam. Qvanam, inqvit, nota inustæ sunt?

19) Vide Pococke ed. White, p. 313. 20) Vide Pococke p. 322. 21) Sur. XVII, v. 33. ed. Hink.

nota Daremitarum, respondebam. Hæ duæ camelæ apud me sunt; Deus aliqvot gentilium tuorum sc. Modharitarum ex iis victum suppeditavit. Qvibus dictis, anum ex infima parte tentorii egressam interrogabat, qvid enixa esset. Si nempe, addidit, foetus masculus sit, nobiscum particeps erit opum nostrarum; sin femina sit, vivam eam defodimus. Anus respondit, eam enixam esse puellam. His auditis, virum interrogabam, an eam vendere vellet. Visne ab Arabibus liberos eorum mercari? respondebat. — Dic mihi tuam sententiam! — Pretio, inqvit, duarum istarum camelarum et cameli tibi eam vendam. Tibi ita sit, respondebam, ea lege, ut camelum eamqve ad me perferas. Pertulit. Tibi credidi, o legate Dei! Mihi lex fuit pretio duarum camelarum, decimum ab initu agentium mensem, cameliqve omnes emere puellas, alioqvin vivas sepeliendas, ita ut usqve ad hoc momentum apud me sint ducentæ octoginta puellæ, qvas ab humatione liberavi. Hæc facinora tibi non proderunt, respondebat propheta, qvoniam iis honorem Dei O. M. haud qvæsivisti; si vero nunc, Moslemus factus, probum facinus patraveris, id tibi rependetur. Hac de re ait Farezdek gloriabundus:

Avus meus ille erat, qvi impedivit, qvo minus filias vivas defoderent, filiamqve defodiendam vivificavit, ita ut viva non defoderetur.

Ex iis, qvi timore ignominiæ puellas vivas defodiebant, erat Keis, filius Adsemi, Monkerita, qvi, qvamvis esset unus suæ gentis primorum, et opulentorum, nihilominus filias suas, adhuc viventes, defodiebat. Cujus rei causa in eo erat, qvod Noman III, filius Mondzari, qvum Tamimitæ tributum, qvod ei solvere solebant, recusarent, fratrem suum Rijan, filium Mondzari, una cum Becro-Vailidis adversus eos mitteret. Hic eos incurrit, pecora abegit, liberosqve captivos duxit. Ad eum venere Tamimitæ, qvibus conspectis, captivos liberos superstites servare cupivit. Noman cecinit:

Non nocuisset Tamimitis, si Keis Ghailan eos tegeret aliqva parte ejus benignitatis, qvam in eum confero.

Gens liberis orbata eum orabat mulieres, ita ut, si qva patrem suum eligeret, huic redderetur; si vero herum suum eligeret, huic relinqveretur. Omnes patrem suum eligebant præter filiam Keisi, filii Adsemi, qvæ herum suum Amruum, filium Moschamrachi, eligebat. Qvapropter Keis votum vovit, se filias sibi partas omnes ad unam occisurum. Ex eo prætextum ceperunt, qvi filias defodiebant, qvamvis opinarentur, id vetitum esse.

Commemoratio ignium Arabum.[22])

Ignes Arabum sunt qvatuordecim: *Ignis Almozdalafah* (Meccæ): accendebatur, donec eum videret, qvi rediit ab Arafah. Primus, qvi eum accendit, erat Kodsai, filius Calabi.

Ignis rogationis pluviæ: qvum sæpius continuaqve serie iis supervenirent steriles anni, annonæqve angustia vehemens esset, atqve pluviam opus haberent, solebant sibi colligere boves, qvorum caudis et suffraginibus alligabantur duæ arbores Salâ et Oschar dictæ. Cum iis montem salebrosum adscendentes, igne in arboribus accenso, strepitum precando et supplicando edebant, hanc cæremoniam putantes esse e causis, qvæ descensionem imbris efficiebant. Hac de re ait Vadic, Thaita:

22) Excerpta e capite qvarto sectionis secundæ partis primæ.

Non bene procedunt res virorum; successu caruit propositum eorum, qvum annis sterilibus pressi, arbore Oschar accensa, Deum pluviam rogabant.

Num tu boves, qvibus alligata est arbor Salá dicta, reddis tibi mediatores inter Deum pluviamqve?

Ait Omijah, filius ben Abisdsalt, cui Deus condonet:

Propellunt boum agmen planitiei ad montem ingentem macie extenuati, timore, ne pereant;

Nodantes ignes in trochleis caudarum eorum, ut jugula siti laborent.

Arbor Salá, neqve minus arbor Oschar, aqvæ eget, ejusqve egent boves.

Ignis visitantis iterqve facientis, qvem et nominabant ignem propulsationis: qvum nempe reditum alicujus viri nollent, ignem pone eum solebant accendere, eiqve male precari, dicentes in imprecatione: Deus eum removeat, et procul esse jubeat! Ignem accendebant post eum. Ait poeta:

Turba hominum, pretium pro sangvine propinqvi expetentium, ad te venit; neqve tamen ignem pone eam accendebas ob dolorem [ɔ: sc. de piaculo tibi extorto].

(Gommah est turba hominum, qvi ambulant, sangvinem aut pacem expetentes. Sensus hujus versus hic est: Te non poenituisset piaculi, qvod solvere in te recepisti, sermone istorum efflagitatus, sed ignem pone eos accendisses, ut ne redirent).

Ignis adactionum juramentorum: Non solebant foedus pangere, nisi circa ignem. Memorabant commoda, qvæ ex igne capiuntur; Deum provocabant ad commoda ex eo redundantia a foedifrago prohibenda et arcenda; sulphur salemqve in ignem conjiciebant; qvæ qvum arderent, terrorem juranti injiciebant. Ait Cumeit:

Ii terrorem mihi injecerunt; in cæcitate .... sicut ardor ignis duorum jurantium terribilis est.

Ait Aus, filius Hogri:

Qvum sol ei obversus staret, vultum declinabat, qvemadmodum jurans ab igne terribili vultum avertit.

Ignis perfidiæ: Arabes, qvum aliqvis in vicinum suum perfide egerat, illi solebant in Mina diebus sacræ peregrinationis ignem accendere super monte prope Mina sito Achschab, clamantes: hæc est perfidia hujus vel illius. Ait mulier qvædam Haschemitica:

Utiqve peribas, sed contumaciam erga eos, qvibus in te jus erat, non cognoscebas, neqve nobis ob perfidiam ignis accendebatur.

Ignis incolumitatis: est ignis, qvi venienti ex itinere suo accenditur, qvum incolumis, prædisqve actis, revenerit. Ait poeta:

O Solma! accende ignem! certe is, qvem desideras, salutandi causa adiit.

Ignis belli, qvoqve vocatus ignis apparatus et præmonitus, super collem accendebatur, signumqve erat, qvo ii, qvi longius remoti erant, de bello imminente edocebantur. Ait Ibn Rumi:

Ei duo ignes: ignis hospitalis acceptionis et belli; utrumqve vides exardescentem.

Ignis venationis: eum accendunt ad dorcades venandas, ut oculi earum nyctalopes evadant.

Ignis leonis: hunc Arabes accendere solebant, qvando leonem metuebant; ille enim ignem conspectum intuetur, defixoqve obtutu contemplatur.

Ignis morsus serpentis homini a scorpione puncto et vulnerato accendebatur, donec non dormirent, dolorqve iis ingravesceret. Ait Nabegah:

Excitatur ad vigilandum nocte brumali is qvi apud eos a scorpione punctus est; certe mundus mulierum in manibus ejus est instar freqventium tonitrufragorum 23).

Mundum nempe muliebrem ei suspendebant, eumqve per septem dies relinqvebant.

Ignis redemtionis: qvando reges Arabum tribum captivam duxerant, ad eos egrediebantur principes, captivos redemturi, vel, ut ii sibi dono darentur, petituri. Reges vero aversabantur, mulieres interdiu conspiciendas præbere; per tenebras autem eæ ignominiâ facile adficerentur, regesqve lateret qvantitas pretiumqve partis prædæ, qvam sibi ipsi, tanqvam duces, in antecessum occuparent, atqve qvantitas ejus partis, qvam [militibus suis] largirentur; deniqve per tenebras reges lateret, a qvibus rebus lytrum sumerent. Proinde ignem accendebant. Ait poeta:

Mulieres Scheibanitarum proelio Ovaræ circa ignem erant, qvum juvenes earum ei revelabantur.

Ignis stigmatis [camelis] *inurendi:* virum interrogare solebant sciscitantes de camelis: qvinam est ignis tuus? qvidnam est stigma tuum? acus, vel nota collo per transversum impressa, vel annulus, vel sic vel ita? Narratur de latrone qvodam, eum camelos aliqvot adiisse, prædatumqve esse, atqve ita camelos e sex tribubus direptos ad aliqvid fororum abegisse. Eum aliqvis mercatorum interrogabat: qvinam est ignis tuus? Interrogabat nempe, qvia cauterem cujusvis gentis nobilesqve eorum camelos ignobilibus dignoscebat. Latro respondebat:

Me interrogas de area [unde orti sunt], *non de natura eorum; tunc qvum eos commovebant, oculi eorum se efferebant.*

Omnis domus hominum est domus eorum, et omnis ignis mundorum est ignis eorum.

Ignis hospitii est inter res, qvibus Arabes præcipue gloriantur. Eum accendebant noctibus hibernis, atqve hospitium roganti elevabant. Qvotiescunqve ille ignis amplior esset, ejusqve locus elatior, id gloriosius erat. Hoc igne inter se gloriabantur. Ait poeta:

Ei est ignis, qvi accenditur in omni valli, qvum radii [solis] *calantica operti sunt* (ɔ: nocte).

Hac de re ait Ibrahim, filius Haramæ:

Qvum hospes eorum ab iis aberraverit, nocte obscura ei ex igne signa rubra erexerunt.

Deniqve erat Arabibus ignis admodum magnus, vocatus *ignis duarum Harrarum.* Hic ignis fuit, qvem Deus O. M. per Chaledum, filium Senani, Absitam exstinxit. Harrah, in terra Absitica sita, Harrah al............ appellabatur. Traditum est de Ibn Alcalbi, eum dixisse: egrediebatur ex eo collum, qvod intervallo trium qvatuorve milliarium circumfluebat, ita ut per istud intervallum nil transiretur, qvod non ab eo igne ambustum erat. Chaled, filius Senani, assumto sibi e qvavis familia tribus Absiticæ viro, cum iis, nervum taurinum secum gerens, ignem versus tendebat; donec ad ejus craterem perveniret. Egrediebatur ex igne collum, ac si esset collum cameli, eosqve cingebat. Per Deum! clamabant, pereunt in ultimo vitæ curriculo senes Absitarum. Minime! respondebat Chaled, nervo taurino verberans collum, dicensqve: apage! apage! omnis directio Dei adjuvat Abu Chaled Abdallah, filium Senani 24); neqve desinebat istud verbe-

23) Cfr. supra pag. 65. 24) Forte: Abu Abdallah Chaled, filium Senani.

rare, donec recederet. Is vero unacum suis comitibus, ac si esset draco, lapides Harræ vi occupans, istud seqvebatur, donec ad puteum perveniret, in qvem se recipiebat, atqve diu in eo morabatur. Hinc dixit aliqvis Chaledi patruelis, nomine Orvah, filius Schabbæ: non puto, Chaledum unqvam ad vos egredi. Hic vero, sudore manans, egressus: opinabatur, inqvit, filius feminæ, capram pascentis, mo non egressurum. Inde vocantur usqve ad præsentem diem femina capram pascens. De hoc igne ait poeta:

Sicut ignis duarum Harrarum, cui est flamma, qva aures viri audientis obturantur.

EXCERPTA EX IBN KOTEIBAH.

De qvibusdam, qvi proverbiis occasionem dedere[1]).

Arcus Hagebi: Ait Abu Muhammed: Ille erat Hageb, filius Zoraræ; anno qvodam sterili, qvi ex imprecatione prophetæ eos affligebat, Cosrium adierat, rogans, ut sibi suæqve genti in tractu qvodam territorii sui liberam pasturam permittere vellet, donec iterum recreverint et multiplicatæ fuerint animales suæ opes. Verum Cosri: vos Arabes, inqvit, estis perfidi et importuni præ aviditate. Si vobis permitterem, corrumperetis regionem, civibus opulenti facti prævaleretis, eosqve vexaretis. Ego regi, ajebat Hageb, spondeo, eos non facturos. Qvis me certiorem reddit, respondebat rex, te promissis stare velle? Arcum meum, ajebat, tibi pignori dabo. Ridebant aulici; rex autem: si ei, inqvit, in animo esset fallere, nunqvam arcum suum traderet. Arcum igitur ab eo accepit, eiqve veniam dedit ingrediendi in tractum Rif; verum et ibi ob imprecationem prophetæ sterilitate premebantur, et Hageb peribat. Hinc filius ejus Othared, ad Cosrium profectus, ab eo arcum patris sui petiit. Cosri ei non solum arcum reddidit, sed qvoqve veste splendida ornavit, qvam Othared, qvum deinceps ad prophetam inter alios Tamimitarum legatos [octavo fugæ anno] veniebat, et Islamismum profitebatur, prophetæ donabat; eo autem non acceptante, qvatuor mille dirhemis alicui Judæo vendebat. Ait Abuljokthan, eum arcum hodie asservari apud gentem Gafari, filii Omeiri, filii Otharedi, filii Hagebi, qvia ii sunt suæ gentis thesaurarii.

Bakel[2]), de qvo proverbium fertur. Is erat Keis, filius Bâilah. Emerat aliqvando capram undecim dirhemis. Interrogatus, qvanti emisset, aperuit manus, decem digitos protendit, lingvamqve exseruit; qvo modo numerum dirhemorum indicare voluit. Ideo exprobratus, dixit:

Reprehendunt in stultitia sua Bakelum; ac si stultitia non creata esset.

Exserere lingvam, et aperire digitos mihi gratius est, qvam loqvi.

Geminæ inaures Mariæ:[3]) Abu Muhammed ait: Illa Maria erat filia Dsalemi, filii Vahabi, filii Haretsi, filii Moaviæ, Cenditæ, sororqve ejus erat Hend Alhonud, uxor Hogri Acal elmorar, Cenditæ; filius Mariæ erat Harets claudus, qvem commemorat Nabegah in isto:

Harets claudus est optimus mortalium.

Eum qvoqve intellexit Hassan, filius Tsabeti, in hoc suo dicto:

Liberi Giofnæ stant circa sepulchrum patris sui, sepulchrum filii Mariæ, generosi, excellentis.

Chazim alnalm (mollis): est is Chazim, filius Amrui, de gente Morræ, filii Aufi, filii Saadi, filii Dzobiani. Chazimi filius erat Adi, cujus duo filii erant Otsman et Pater Hendæ. Hend mater erat duorum Ibn Omaræ filiorum. Chazim vocabatur Naîm, qvia per æstatem trita veste, et per hiemem recenti veste indutus erat.

---

1) Vide Reiskii versionem latinam (MS. bibl. Reg. Haun. No. 100, qvarto) pag. 330 seq.
2) Vide supra, pag. 45. 3) Vide supra, pag. 52.

Half alfodhul[4]) (foedus augmentorum, qvum qvis foedus init, ad qvod ineundum non obstrictus est): causa hujus foederis in eo erat, qvod Koreischitæ in sacro Meccano territorio injurias facerent. Qvapropter surgebant Abdallah, filius Gadâani, et Zobeir, filius Abdelmothallebi, invitantes Koreischitas ad foedus inter se ineundum, oppressos vindicandos, poenasqve ab oppressoribus sumendas. Koreischitæ iis duobus viris annuentes, in domo Abdallæ, filii Gadâani, foedus inibant.

Foedus Mothajjebitarum: Ait Abu Muhammed: Mothajjebitas esse tribus Abd Menafi, Zohræ, Asdi, filii Abdelozza, Taimi, Haretsi, filii Fehri, et Scheibæ e filiis Kodsaii. Ii voluerunt qvædam privilegia, qvæ penes Abdeldaritas erant, his eripere, nempe: vafadah, leva[5]), nadvah (jus concionem convocandi), et hegabah (munus in porta templi Meccani excubandi). Foederatis autem tantummodo erat Sekajah s. jus peregrinatoribus aqvam præbendi. In bellum igitur conjurati, jam se comparabant ad arma capienda; veruntamen desistebant, et antiqva suis possessoribus jura confirmabant. Est autem Vafadah aliqvid, qvod Kodsai Koreischitis [Abdeldaritis] imposuerat, sacros nempe peregrinatores qvotannis cibare.

Citius, qvam Omm Charegah subagitatur: Ea erat filia Farradi, filii Bagilah, qvæ, qvam primum qvis procaretur, sui statim copiam ei faciebat. Peperit Becro, filio Abd Menafi Laitsum, Dulum et Oraigum. Mater qvoqve erat Anbari, Hagimi et Osaidi. Peperit qvoqve, sed nescimus, ex qvo, in tribu Jemenensi, Kin dicta, Bahr Omm Charegah.

Cucurbitarius s. chirurgus Sabathi: Ait Abu Muhammed, urbem, qvæ arabice Sabath Cosrii appellatur, persice dici Belasabad (Belas nomen viri est). Proverbium autem de eo cusum adhibetur ad hominem summe otiosum designandum; qvoniam, arte ejus frigescente, otii fallendi causa milites transeuntes scarificabat, iisqve mercedem solvendam credebat, donec a bello reverterentur.

Tulipæ Nomani: Ait Abu Muhammed, ita appellatas esse tulipas a Nomano, filio Mondzari, qvi aliqvando in agrum exiverat, qvum plantæ ibi nascentes ad justam magnitudinem adoluerunt, et variegatum viridi, flavo et rubro adspectum præbuerunt. Inter alia qvoqve erant tulipæ, qvarum pulchritudine captus jubebat, eas ab aliis secludi; unde tulipæ Nomani appellabantur.

Narratio Charafæ: Ait Abu Muhammed: narravit mihi Abu Sofian, Tsaurita, qvod ei traditum erat ab Abu Sâid, filio Abdallæ, Salemita, qvi acceperat ab Ali, filio Abi Tsabet, qvi a Sareh, qvi ab Anaso, filio Maleci: prophetam dixisse, narrationes omnium verissimas esse narrationes Charafæ. Ille autem erat Odzrita[6]), qvi a dæmonibus raptus apud eos versabatur; qvum vero hi rumorem aucupati essent, eum edocebant. Ille rursus has historias nuntiabat incolis terræ, qvi deprehendebant, eum vera dixisse.

Bergan ellads (latro): Erat ille libertus Amrulkeisi. Duo ei erant socii, nomine Sahm et Sam, qvi a Maleco, filio Mondzari, occidebantur. Qva de re ait Chalf, filius Chalfæ:

---

4) Vide hist. pr. regn. Ar. pag. 134.

5) Non intelligo, qvid hoc sibi velit. Forte legendum: اللواء, vexillum, i. e. jus præferendi et figendi in monte (ut hodieqve mos est) vexilli (Reiske).

6) Ergo Kodhaita, vide mon. ant. hist. Ar. tab. XI.

Si tu, o foemina! non rogaveris Sahmum ejusqve socium de Maleco, interroga Fadhlum, filium Bergani!

Is te docebit, qvis venerit super clivum [incursurus in subjectam vallem], *donec immineret domibus et aedificiis.*

Sahban ben Vail. Hic Sahban pertinet ad Vail, filium Mâni, filii Aâdsari, adeoqve ad tribum Bahelah 7). Sahban erat concionator, cujus eloqventia in proverbium abiit. Ait poeta de hospite, qvi hospitatum ad ipsum venerat:

Venit ad nos tam disertus, ut Sahban Vail qvoad facundiam et scientiam ei non comparandus esset.

Sed tam diu vorabat, donec, loqvi cupiens, ut Bakel, balbutiret.

De Sahbani filio Ali ait Thalhah elthalhat:

A te venit donum: mihi igitur dona! tunc meum erit te laudare 8) *in consessibus hominum.*

Thofeil, a qvo Thofeilitæ (parasiti, αυτοκλητοι) nomen habent, erat origine Ghatfanida, civitate Cufensis, tempore —. Vocabatur Thofeil alaâras (nuptiarum), qvia convivis nuptialibus sese ingerere solebat.

